



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar. Pars Prima

Puente, Luis de la

Pragæ, 1672

Liber Quintus. De rebus memoratu dignis, in quibus juvit animas
Purgatorij, & promovit salutem proximorum, dum illi Deus manifestaret
ipsorum miserias, & quid ei agendum, dicendum, vel scribendum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38580



LIBER V.
MIRABILIS VITÆ
VENERABILIS VIRGINIS
MARINÆ
DE ESCOBAR.

De rebus memoratu dignis, in quibus iuvat animas Purgatorij, & promovit salutem proximorum, dum illi DEUS manifestaret ipsorum miserias, & quid ei agendum, dicendum, vel scribendum esset, ad ferendam illis opem.



Quia se DEUS acquies & monitis privatis, atque nonnullis commodabat meticulousse ac veretur ad hoc prestandum, cum insigni zelo & emolumento, tam vivorum, quam defunctorum; quod erit argumentum huius Libri Quinti, quem exordiemur à revelationibus, concernentibus animas Purgatorij magis conjunctas sanctis Calitibus, de quibus erit Liber antecedens.

tuit in Libro primo, solum est ipsius operâ usus, ut illos juvaret suis orationibus, allo-

(2)**(2)

LIBER

CAPIT

CAPUT I.

Quomodo illi DEUS aliquando ostenderit Infernum, Purgatorium, & Limbum, atque perditionem potioris partis Mundi, quin tamen ipsi exhibuerit, ullum damnatum speciatim; nec non quibus de causis hæc omnia fecerit.

Propter insinuos fines, ut fructum inde perciperent animæ, dignatus est DEUS ostendere sua famule terribilia loca pœnarum alterius Mundi, & multitudinem hominum, hinc ad illa inhabitanda migrantium.

§. I.

Aliquando, ait, manè (in Novembri anni 1619.) mihi dixit Dominus: Anima, veni mecum. Cum enim te toties ducam ad meam cœlestem Aulam, volo te jam etiam ducere ad disparem locum ac regionem. Expectabam, quid Divina Majestas mecum esset actura, atque post valde longum tempus fui arcanissimo quodam modo & compendiosè ducta per quasdam vias extraordinarias, ac deveni ad quandam locum tristissimum & obscurum, ubi in fossa quadam & abyssu angusta ac abominabilissima, erant infinitæ animæ ac diaboli, simul omnes conjuncti & permixti, in magna confusione, angustia, & intolerabilibus tormentis. Voluntabant se miserabiliter, gementes, plorantes, & ululantes animæ, cum diabolis, intra illas infernales flammæ, instar rabidorum canum, se mutuò devorantium: profusiebant per diversos Inferni hiatus multi dæmones, qui aggravabant horridum supplicium, & per intervalla obruebat istam desolatam turbam gravissimum pondus, instar rotæ molaris, à qua omnes comminebantur, cum ingenti dolore, & redigebantur in quandam pestilentem mephitim. Licet verò ipsos ita pessumdaret, non privabat illos tamen vitâ; quin imò innovabatur gravius eorundem tormen-

tum, ac infernus. Mea anima contemplabatur desuper, cum maximo stupore, dolore, & commiseratione infernale illud barathrum, & miseras earum desolatârû ac infelicitium animarum.

Aliquantò post ducta fuit mea anima ad aliû locum, ubi ei fuerunt ostensæ in quadâ ampla voragine, quæ erat instar lacus, plurimæ animæ, tolerantes ibi gravem pœnam, angustiam ac dolorem, circumdatæ à flammis validissimis ac subtilissimis ignis, à qua penetrabantur ac urebantur potentissimè & vehementissimè. Habebant animæ istæ, quæ comparebant in specie parvorum corporum, brachia elevata in altum, & manus junctas, oculos erectos ad cœlum, ora aperta, & nares undequaque afflictissimas, aliæ magis, ac aliæ minus. Circa istum lacum igneum ambulabant, quasi locum illum circumeuntes, & habentes ipsius curam, sancti Angeli, qui intuendo amanter eas animas, animabant ipsas (non ademptâ tamen eis pœnâ) dicèdo, ut meminissent se visuras DEUM, transacto tempore sui Purgatorij, sibi constituto. Mansi ibi aliquamdiu, non absq; magna commiseratione, contemplans illas animas usque adeò afflictas.

Atque inde sum ducta ad alium locum, ubi vidi quandam planitiem campestrem, & in ea lucem suboscurem. Hic erant multæ animæ, in specie parvorum infantium, qui commeabant per illam obscuram lucem, elevati à terra. Hæ animæ videbantur, nec pati quidquam, neque frui ullâ gloriâ. Ambulabant quasi destitutæ sensu, osculis apertis, brachiolis exporrectis, ac si ipsas nihil delectaret, neque affligeret, sed essent velut abreptæ in ecstasim. Consideravi illas cum ingenti dolore, & compassione.

Deinde

Deinde ducta sum ad vastos quosdam & spatiosos campos, ubi erant ampli agri, apti serendo tritico, & nonnullæ vineæ: in agris jam seges erat demessa, solæque refidæ manebant stipulæ; fructus etiam vinearum erat collectus, & omnia erant destructa. Hæsi diu in his spectandis, vehementer dolendo & ingemiscendo; quia illuminata à DEO intellexi, id esse speciem quandam & figuram destructionis ac stragis, quæ potior Mundi pars est deformata. E vestigio conspexi advenientes per ea latifundia quosdam pulcherrimos & nitidè exornatos Angelos, qui videbantur esse Spiritus præditi magnâ fortitudine ac virtute Divinâ; & inceperunt quàm gratiosissimè ac diligentissimè colligere paucas spicas, quas in ijs campis reliquerant messores ac vindemiatores, & fecerunt ex illis aliquot manipulos, tam elegantes, pulchros & fecundos, tamque frugiferos, ut viderentur valere thesaurum, & esse utiliores omni reliquo tritico. Contemplanti mihi hoc mysterium, dixit Dominus: Dic age, consideravisti mysteriû eorum agrorum destructorum, & istorum meorum messorum? Noveris, id ipsum prorsus fieri in Mundo. Diabolus enim auferit majorem partem fructûs & messis, atque pro me solum remanent istæ spicæ, & pauci hi à meis Angelis colligati manipuli, verum pulchri, fructuosi, & accepti meis oculis. His animabus, significatis per istas spicas, ego diteasco; in illis honoror, & fio felix; in quantum ipsæ, ex sua parte, ad id cooperantur suâ charitate, & virtutibus. Cùmque ego reponerem: Ergone, Domine, peribit illa multitudo animarum, & fructus tuorum præstantissimorum meritum, ac pretiosi sanguinis, quem profudisti? Respondit Dominus: Eæ animæ, quæ videntur esse paucæ, illum perceperunt seriò & ferventer, quod me magnopere delectat.

§. II.

Post hoc me duo sancti Angeli redeunt ad meum locum, quos sum contemplata, eò quòd essent admodum gra-

ves, ac potentes, magnæque virtutis, præsertim verò intuebar unum, quia mihi illum videbar novisse. Et ille mihi dixit: Anima, ego sum Archangelus Michael: Ego, & meus socius, qui est sanctus Archangelus Gabriël, te duximus ad ea loca, ad quæ te iussit duci DEUS, & in quibus fuisti. Quod autem Divina Majestas propositum habet in his mysterijs, est, ut illi ores, & instanter intercedas pro animabus existentibus in peccato mortali, quarum ut vices doleas, ostendit tibi penas Inferni. Duxit te quoque ad Purgatorium, ut visis tormentis, quæ ibi patiuntur animæ, deprecaberis pro illis sedulo Dominum, unâque illum rogaes, ut det viventibus gratiam ac lumen, ad expianda per penitentiam sua peccata. Orabis præterea DEUM, pro sæminis prægnantibus, ut illas illuminet, educatque in lucem earum proles, quò suscipiant beneficium Baptismi; propterea enim tibi ostendit limbum parvulorum, qui decedunt è vita, priusquam baptizentur. Exhibuit tibi devastationem agrorum ac tritici, quæ significat ac representat dissolutionem & Corruptionem Mundi, ut deplorares tantam miseriam, invocaresque DEUM. Ut autem te solaretur ac mitigaret tuum dolorem, quem percipis ex tanta animarum jactura, utque ageres DEO gratias, ostendit tibi illos Sanctos spicarum collectores, qui suis manipulis attulerunt tantum gaudium, & gloriam DEO. Audivi cum magno solatio dicta mihi à sancto Archangelo, qui injecit meo collo torquem, cujus annulerant ex purissimo ac splendidissimo auro, & dixit: Accipe, Soror, hoc cimelium in nomine DEI, erisque deinceps Ancilla ipsius & Sponsa. Auditis his Angeli verbis, immemor vocabuli Sponsæ, tantumque insistens appellationi Ancillæ, dixit: Ah, Domine Angele, volèntne me Dominus tanquam malam & infidelem suo Domino, Ancillam vendere? Respondit Angelus: Nequaquam fiet, quod dicis. Dominus enim te emit valore & pretio infinito, sui pretiosi sanguinis à se profusi, eoque ipsius multis ac justissimis titulis, & deponavit te sibi, adaptavitque in filiam suam, ac pro-

ac proinde non habet locum, quod dicis, nec id unquam fiet. Hoc dictum Angelicum me affecit magno solatio, & fui recreata, atque confortata in Domino.

§. III.

Erit autem opera pretium animadvertere stylum DEI, in his visionibus & revelationibus predictorum locorum. Quia in Cælo & in Purgatorio, illi ostendit speciatim nonnullas animas defunctorum ipsius tempore, pro earum honore, ut aspectu existentium in cælo recrearetur; quemadmodum supra dictum est; detentis verò in Purgatorio succurreret ac ferret opem: sed in inferno ipsi nunquam exhibuit spectandum ullum nominatim damnatum, neque ei revelavit damnationem cuiusquam, qui ipsa vivente esset defunctus. Atque si aliquid tale, vel minus se se ipsi offerret, abstrinhebat se pro viribus: volebat namque male de ullo sentire, & damnati non poterant iuvari. Unà duntaxat vice, in eventu, secundum fidem nostram, certo, concernente infantes morientes absque Baptismo,

Accidit, ut ad me veniret, ait, quidam parvulus, præferens ætatem circiter quatuor vel quinque annorum, vultu neque tristi, neque hilari, sed malè vestitus, & dixit mihi: Nostine me? aspice me bene, ego enim sum filius tui fratris. Respondi illi: Relinque me, quia meus frater non habuit filium. Intuita sum ipsum, & erat vultu persimilis suo Patri. Tum mihi dixit: Non meministi, primum filium, què habuit, natum fuisse exanimem? atque ego sum ille, & maneo in Limbo. Comparere mihi. Quo dicto evanuit. Interrogavi deinde DEUM, quare mihi ipsius Majestas exhibuerit istam visionem, siquidem non posset jam iuvari? respondit mihi: Ut ores pro parturientibus, nè illis partus tam infeliciter cedat: nam huius rei te cura non tangit.

Isto casu excepto, non habuit de ullius defuncti, qui esset provectoris ætatis, damnatione, peculiarem revelationem. Et, quod hanc rem attinet, occasione cuiusdam libri, tunc editi in lucem, in quo referebantur non-

nullæ revelationes factæ a cuidam servo DEI, de personis notis, quod essent damnatæ, dixit illi DEUS, illum spiritum non esse suum, additâ hac doctrinâ utilissimâ. Nonne, aiebat, advertis, me longè aliter consuevisse loqui? Quædam malè intelliguntur, & aliqua perperam scribuntur, ideoque magnopere erit necessarium, & expediet in huiusmodi eventibus, qui videntur esse revelationes, de cuiuspiam damnatione, avertere cor, & abstrahere ab illis spiritu. Ego enim rarissimè & extraordinariè manifesto similes casus; atque si id aliquando feci, vel fecero, certè non aliter, quam ut sit secretissimum, folique constet animæ, cui tale quid revelo, & quidem in casu admodum necessario, ex quo dependeat specialis meus honor, & fructus animarum. Non decet verò animam, cui me communico, esse nimium audacem in interrogando, cum exiguo timore; si enim hoc faceret, proxima esset illusioni, ut existimaret, me sibi loqui, & respondere, cum tamen se aliter res haberent. Ut animæ sua DEUS communicet arcana, oportet illam esse humilem, verecundam, timidam & sollicitam, nè erret, ac liberam ab omnimoda propensione ad res singulares & inusitatas, adeò ut debeat esse instar bonæ aquæ, quam necesse est expertè esse omnis saporis. Quæ hoc habuerit, & amaverit ex corde ac verè DEUM, collocaveritque in ipso omnem suam spem & fiduciam, talis non errabit, neque decipietur, ego enim illâ illuminabo, ac docebo.

Præterea, dum anima familiariter agit cum suo DEO, & ipsum deprecatur pro anima defuncti, cuius statum ignorat, utrum in via sit salutis, solet DEUS oranti pro illa immittere quandam incuriam, ac magnam in petendo tepiditatem. Atque hoc est, quod DEUS ordinariè facit in simili eventu.

Hæc omnia Marina intellexerat ex Divina revelatione, neque ijs obstat illa, quam habuit de triginta damnatis, de quibus statim erit sermo: quia fuit revelatio confusa, ita ut non videret, nec dignosceret quæquam speciatim.

☉(☉)

000

CAPUT

CAPUT II.

Quomodo illi DEUS manifestaverit modum,
quo animæ puniuntur in Purgatorio, ac de ardenti ipsius desiderio,
earundem juvandarum.



Uo proficitur sancta nostra Fides, quæ sunt certis casibus, instar januæ, ac adiutis, ut iusti ingrediantur in caelestem gloriam. Alterum est, Purgatorium ignis, ubi purgantur anima, & luunt penas suorum peccatorum, pro quibus non satisfecerunt in hac vita, cujus jam facta est aliqua mentio. Alterum, sunt Indulgentia Ecclesie, & preces, ac opera satisfactoria, qua vivi applicant defunctis, ut illos liberent ex Purgatorio. De utroque Marina multas habuit revelationes, utrumque confirmantes.

§. I.

Quàm sint graves hæc poenæ?


Inprimis pro solatio vivorum, qui patiuntur graves afflictiones, fuit à DEO edocta, quanto sit melius satisfacere hæc pro peccatis, quàm hanc satisfactionem differre ad Purgatorium, cujus cruciatus sunt incomparabiliter graviores. Quodam die, ait, rogabam DEUM instantissimè, ut liberaret, si ei placeret, quendam infirmum ab acerbissimis calculi doloribus, quos patiebatur; perfoluturum enim in Purgatorio, quod deberet pro suis peccatis, quorum esset reus, si propterea Divina Majestas illi hinc immitteret hos dolores. Respondit Dominus: Noli me tuis precibus inducere ad id faciendum, quia meritò de te postea hæc anima queretur, ubi luert poenas Purgatorij. Ego autem dixi DEO: Mi DEUS, multum est, pati in Purgatorio, cum securitate te non offendendi: dum enim hinc patimur dolores & afflictiones, potest nostra naturalis imbecillitas & miseria deficere in resignatione, vel patientia, aut similibus, tæque offendere. Tum

DEUS: ego gero curam meorum servorum, qui cupiunt ac volunt me non offendere, nec illos permittam labi; atque si valde magna esset eorum imbecillitas, & eò usque pertingeret, quò ego illam pertinere posse scio, mitigarem ipsorum cruciatus, vel disponerem ipsorum res eo modo, qui esset convenientissimus eorundem salutem. Ego enim sum vester Pater, vester Dominus & vester DEUS. Mea anima fuit vehementer his mei DEI dictis exhilarata.

Aliàs orando pro quadam persona, quæ ægrotaverat multis mensibus, & gravissimos erat perpeffa dolores, cum esset vicina morti, rogavi unum è meis Angelis, ut iret ad opem ipsi illà horà ferendam. Respondit mihi: Non erit necesse, quia propius ipsius Angelus illi adest, opemq; fert sufficientem, & fortè in Purgatorio non manebit uno horæ quadrante. Mirata sum id: quia in diuturnis morbis, inter acutos dolores, solent intercurrere quedam impatientiæ, & querelæ. Dominus autè mihi dixit: Noli mirari. Patienim, quod à DEO immittitur, tanta est res, ut quavis non desint multi defectus, ego tamen ex hoc fimeto eruam margaritam & gemmam, quæ est incomparabilis pretij, ad satisfaciendum, pro multis annis Purgatorij.

Existimo hoc dictum fuisse à DEO, quia tales infirmi quandoque eliciunt quosdam actus heroicos resignationis & conformitatis cum Divina voluntate, qua est præcipui pretij in Divino conspectu.

Præterea illi ostendit DEUS, quàm sit terribilis ignis Purgatorij, ut constat ex Visione relata precedenti capite, & alijs deinceps referendis.



§. II.

Modus & ordo pœnarum.

Manifestavit ipsi quoque modum ac ordinem, quo patiuntur anime, & proportionem, qua reperitur in earundem pœnis. Dum, inquit, aliquando manè egerem cum DEO, indicavit ipsius Majestas meæ animæ, velle se illi præstare aliquam peculiarem gratiam. Reluctabatur more solito, quasi non intellexisset, quod resciverat à suo DEO; & postquam, ultra unam horam, se fuisset conata abstrahere ab eo, quod intellexerat, dixit illi DEUS: Anima, quid agis? veni jam mecum, & videbis, quid tibi sim ostensurus. Atque tum in momento abduxit meam animã, quæ se reperit constitutam ante quendam locum, qui erat Purgatorium. In hoc loco vidit multas animas, congruis quodammodo & in longum protractis ordinibus dispositas, quarum aliæ stabant loco demissiore, aliæ altiore: & quamvis viderentur juxta se consistere, patiebantur tamen singulæ seorsim, atque tam mirabiliter à Divina manu erant collocatæ, ut quælibet esset separata ab altera, neque aliam sustineret solitudinem, quàm si in eo loco tam spatiofo ipsa unica existeret. Interdum veniebant ad quasdam Angeli DEI, & solabantur illas, atque animabant, dicentes ipsis, quòd essent visuræ DEUM, & ea tormenta, non semper duratura. Ardebant illæ animæ in vivis flammis, & cruciabantur gravissimè: neque omnes torquebantur eodem modo, & æqualiter. Quod nonnullas summè angebat, erat vehemens desiderium videndi DEI, atque in eo consistebat præcipuum ipsarum Purgatorium. Non vidi illas patientes in ulla corporea specie, sed visu spiritualissimo cognoscebam, ac penetrabam spiritualem essentiã earum animarum, quæ illic eo modo luebant & affligebantur.

Aliam visionem notatu dignissimam huc spectantem habuit, quodam Festo Sanctissimæ Trinitatis. Vidi, inquit, venientes, quasi eminus, tres viros in candido vestitu, indutos quasi angustis albis sacerdotilibus, & tristi vultu. Unus ibat medius,

erátque altior reliquis duobus, qui stipabant ipsius latera, & quasi pertingebant ad ejus humerum. Pervenerunt ad locum, in quo mecum manebant mei Domini quatuor Angeli, & prostraverunt se humi, acsi ab illis aliquid peterent. Paulò post, accesserunt ad me duo ex meis Angelis, & dixerunt mihi: Scisne, qui sunt isti, cur veniant, & quid petant? Hi (ajebant) fuerunt tres Religiosi idiotæ, & singulariter addicti Sanctissimæ Trinitati; inierant autem pactum, ut quisque speciali devotione coleret unam è Tribus Divinis Personis, ab eaque postularer quampiam pro se, & pro cæteris duobus virtutem. Id diu egerunt, sed ex ignorantia erraverunt, exiltimantes, Patrem esse majorem Filio, & Filium majorem Spiritu Sancto. Obtinuerunt autem veniam suorum peccatorum, eò quòd ipsos pœnituerit erroris; sed sustinuerunt in Purgatorio gravissima tormenta, quæ hunc in modum possunt declarari. Qui occupat locum medium, passus est, acsi proceræ vir staturæ comprimeretur & constringeretur, ut evaderet æqualis cuiuspiam parvo: duo verò ipsius comites, acsi parvus aliquis extenderetur, ut fieret par magno. Dixerunt autem nobis, ut, cum patiaris tam multum in isto lecto, atque DEUS exaudiat preces patientium, ab hodierno die, ad Octavam usque Corporis Christi, ores pro illis DEUM, & communices quotidie, offerasque ipsi aliquid ex tuis cruciatibus, ita enim ipsos liberatum iri ex suis. Ego me exhibui promptam ad id præstandum, & tres illi Viri subito disparuerunt. Post aliquot autem dies venerunt Angeli Custodes harum trium animarum, & me spectante, egerunt gratias meis sanctis Angelis, pro collato ipsis beneficio, dicentes, jam illas frui DEO, in Cælo.

In hac visione est animadvertere, quomodo pœna Purgatorij sit proportionata peccato, illa enim ignorantia erat culpabilis, quævis fuerint idiotæ, quia eam potuerunt facile deponere; sed ante suam mortem averterunt à se malum, agendo pœnitentiam.

¶

§. III.

Animæ certò sciunt, se esse salvas.

AD modum, quo anima cruciantur, pertinet, quòd careant afflictione, quam illis posset adferre dubium, sintne damnate, an non; qua de re illam reddidit certiore Dominus, dicendo ipsi: Ecce, Anima, reperire est nonnullos, qui usq; adeò volunt exaggerare tormèta Purgatorij, ut dicant, tanta esse, quanta sunt in Inferno. Ego diligentes me diligo, ideòque me miseret animarum existentium in Purgatorio, & submitto illis aliqua solatia per meos Angelos. Atque esto certa, nullam esse animam in Purgatorio, seu in loco, in quo purgat sua peccata, cui non certissimè constet, se esse in via salutis, & statu gratiæ.

§. IV.

De alijs locis, in quibus cruciantur animæ.

MAnifestavit illi quoq; Dominus, quasdam animas cruciari in alijs locis extra Purgatorium ignis, quemadmodum dicit S. Gregorius, quendam Diaconum, nomine Paschasium, cruciatum fuisse in quibusdam balneis. Cùm, inquit, vehementer affligerer à meis doloribus, somniavi, me esse in littore cuiusdam fluminis (fueram enim aliquando singulariter addicta ei recreationi, quam percipiebam ex aspectu aquæ) & sum expergefacta, dixeruntque mihi mei Domini Angeli: Visne à nobis duci ad littus alicujus fluvij, ut te modicum recrees istâ creaturâ, quam DEUS condidit in usum hominum? Ego dixi: Non, Domini, malè valeo, non possum. Nos te ducemus, nè sis sollicita (dixerunt illi) & absque mora me duxerunt juxta quendam fluvium Castellæ, constitueruntque me in quodam loco, in quo vidi spatiosa & procul excurrentia littora. In altera littoris parte conspexi quatuor pueros, pedibus cogentes arenam, & laborantes, seque valde fatigantes, quasi vellent ingredi fluvium, neque tamen possent. Et interrogavi: Quid est hoc, Domini? Responde-

runt mihi: Brevi scies. Duxeruntque me ulterius, & vidi in eodem littore alios quatuor, valde tristes, & obrigescentes præ frigore, seque contrahentes, & afflictos. Reperij priorem interrogationem. Et paulò post vidi alios quatuor parvulos, aliquantò ulterius immerfos in fluvium, usque ad umbilicum, qui acriter vexabantur à frigore. Atque tunc me DEUS illuminavit, ut intelligerem esse animas Purgatorij, luentes extra illud in eo loco suas penas.

§. V.

Ferventia ipsius desideria, liberandi omnes animas Purgatorij.

PER has revelationes DEUS suam famulam vehementissimis incendiis desiderijs, juvandi istas animas, liberandique illas omnes, si posset, ex Purgatorio, ut patet ex eo, quod illi evenit, cum id peteret in festo Assumptæ in Cælos Beatissima Virgini, postquam ipsi Christus Dominus, ut dictum est (in cap: 33. lib: 4.) fuisset dignatus applicare magnos suorum meritorum thesaurus, cum potestate, ut eorundem posset participes reddere proximos. Paucos post dies, aut, mihi dixit Dominus: Marina, quomodo neglexisti petere, quod tibi obtuli præcæritis diebus, pro te, & pro tuis proximis? Ego, ut quæ nihil minus, quam tale quid, cogitaveram, respondi: Non venit mihi id in mentem. Dominus verò reposuit: Eja, pete, quidquid volueris, pro te, & pro quocunque, quia ego tibi id præstabo. Puto mihi à Domino fuisse suggestum, ut intercederem pro animabus Purgatorij, & existimabam, bonum fore, si omnes inde liberarem. Dominus intellexit meam cogitationem, ac dixit: Paulatim, Anima, procede pederentim, petis nimirum. Continui me, & dixi: Concedat illis saltem tua Majestas mille annos Indulgentiarum. Dominus autem subjecit: Tempora tibi, Soror, multum enim postulas. Perivi minus, dicendo: Concedat illis tua Majestas octingentos annos. Et dicente Domino, esse adhuc multum, dixi: Concedat ipsis Tua Majestas ducentos annos Indul-

Indulgentiarum; atque specialiter intercessi pro certis animabus Purgatorij. Sed Dominus respondit: Quomodo tu scis, istas animas ibi esse? Ego, quamvis id à DEO illuminata scirem, respondi Domino: Si ibi non essent, intercedo pro animabus meorum consanguineorum & benefactorum, quæ ibi manent, & si illæ non habent opus suffragijs, pro summè egentibus. Tum mihi Dominus respondit: Modò bene petivisti. Ità fiet, sicut dicis. Et pro vivis, quid petis? addidit Dominus. Ego respondi: Omnibus illis, qui se commendaverunt meis precibus, & meis benefactoribus, atque præsertim duabus personis, quas nominavi, obsecro tuam Majestatem, ut largiatur magnum gratiæ, donorumque cælestium augmentù, & præ-

beat auxilium, ad resistendum diabolo in tentationibus, quibus eos infestaverit; quod mihi Dominus concessit, & destitit ab omni ulteriore petitione. Dominus tamen mihi dixit: Pro te verò quid petis? Cui respondi: Nihil peto, mi Domine, aliud, quàm quod mihi tu dare volueris. Excitas in me Domine, tantum desiderij & aviditatem petendi, atque nihilominus dicis, me multum petere. Et Dominus dixit: Anima, nè te affligas, neque contristeris; verè enim tibi dico, quòd, si scires gratiam, quàm magnam propter tuos ferventes actus tuæ petitionis, sum præstiturus animabus Purgatorij, obstupesceres. Nescis autem id modò.



CAPVT III.

Quomodo illi DEUS præstiterit gratiam, ut quavis Sacrà Communione liberaret ordinariè quatuor animas ex Purgatorio, & quà ratione liberaverit quasdam, cum circumstantijs sanè admirandis.

MIs revelationibus animata Marina, capit subvenire animabus Purgatorij, orando pro illis, atque offerendo suas Communiones ac afflictiones, & applicando ipsis Indulgentias, quas suis Rosarijs potest consequi. Divina verò Majestas, visis ijs desiderijs, ipsi in hunc finem contulit singulares gratias.

§. I.

In signissima fuit hujusmodi. Die S. Antonij Abbatis (Anno 1615.) inquit, mihi agenti cum DEO, more solito, dixit Divina Majestas, se mihi in Festo hujus Sancti, qui tantopere fuit infestatus à dæmonibus, quandoquidem illi in hoc essem similis, præstiturum quandam gratiam, atque etiam ideo, quòd Sanctus id ab ipso petivisset. Vidi Dominum confidentem

in throno, circumdatum ab Angelis, in meo cubiculo, quorum duo accesserunt ad Divinam Majestatem, quasi ipsi lucentes lumine admirabili, & Dominus scripsit octo schedas paucis literis; quod autem continebant, erat; à Divina Majestate in mei gratiam, libertate donari eo die, octo animas existentes in Purgatorio. Quatuor schedæ fuerunt datæ quatuor Angelis, mihi ordinariè assistentibus, qui illas susceperunt cum magna reverentia, & osculo, recesseruntque ad suum quisque locum, unde venerant ad eas accipiendas. Quatuor animæ liberandæ, erant meorum consanguineorum, non tamen parentum, qui jam pridem fruuntur DEO. inter Angelos comparuerunt quatuor pulcherrimi pupuli, quos, à DEO illuminata, cognovi esse beatos puerulos, inmortuos statim post Baptismum, priusquam pervenirent ad usum rationis, & hi se collocaverunt ante quatuor dictos Angelos, fueruntque

runtque ipsis datæ aliæ quatuor schedæ, pro liberandis quatuor suis parentibus, existentibus in Purgatorio, quorum animæ erant omnium derelictissimæ. Pueruli autem illi petierant à DEO liberationem suorum parentum. Dixerunt mihi Angeli, vellémne eas animas subito liberari? Ego annui; ideoque tempore Consecrationis in Sacrificio Missæ, quod peragebatur in Oratorio, iverunt, & liberaverunt illas. Post septem dies, agens cum DEO, vidi quatuor puellas, splendide vestitas, & quia illas non noveram, dixit mihi Dominus, ut illas bene considerarem, & peculiari illustratione habita, agnovi esse duas meas sororculas, quæ mortuæ fuerant parvulæ, & duas consobrinas. Accesserunt ad me, suntque me amplexatæ, quod & ego feci. Dominus, qui aderat cum multis beatis spiritibus, dedit singulis peramanter & blandè aliquid, quod non vidi, quid esset. Puellæ id acceperunt, dederuntque quatuor Angelis mihi ordinariè assistentibus. Interrogavi ipsas, quali fruerentur gloriâ? Responderunt mihi: Omni, cujus essent capaces; adeo, ut neque majorem velint, nec possint habere, neque desiderent. Tum specialiter à DEO illuminata, vidi gloriam, quâ fruebantur. Una illarum, quæ obierat sexennis, mihi dixit, quòd ipsi DEUS in morte acceleraverit usum rationis, fueritque in morbo, ex quo decubuit, promerita majorem gloriam, quàm sit cæterarum. Interrogavi sanctos Angelos, qualia essent illa dona, quæ Dominus dederat puellis. Responderunt mihi: DEUM, in mei gratiam, velle liberare quatuor animas ex pœnis Purgatorij, dedissèque ijs quatuor quasi schedas sibi tradendas, qui essent futuri ejus rei executores: viderem modò ego, quæ animæ deberent esse, siquidem id DEUS permitteret meæ electioni. Ego dixi, ut essent quatuor animæ meorum propinquorum cognatorum, & illis deficientibus, quatuor animæ maximè desolatæ ac derelictæ: Urgebam Angelos, ut irent citò. Dixerunt mihi autem, eundem sibi esse tempore Consecrationis sub Sacrificio Missæ, quod eo die celebrandum erat. An-

geli acceptas puellas, abduxerunt inde secum ad Cœlum.

§. II.

POSTRIDIE deinde habui quædam indicia, quòd mihi DEUS esset præsturus aliquam prorsus extraordinariam gratiam. Repugnavi vehementer, sicut soleo, petendo ab eo lumen, pro cognoscendis ipsius veritatibus. Inter hæc vidi Majestatem Christi Domini, sedentem in eleganti Throno, qui admotâ sanctissimâ suâ manu lateri, gravissimè exprompsit quandam pulcherrimam clavim auream, cujus mihi ab ipso exhibitæ aspectu fui territa, ac turbata. Dominus autem animadvertens meâ turbatione, conjecit oculos in quendam sanctum Angelum ibi præsentem, cui, cum ad ipsum accessisset, dedit illam Divinam clavim; is verò ipsam suscepit quàm reverentissimè, & inclinans se usque ad terram, osculatus est illam, statimque eandem tradidit uni ex quatuor sanctis Angelis, mihi continuè assistentibus, quam ipse eodem suscepit modo, quo prior, ac dedit alteri ex quatuor, hic autem consequenter reliquis; donec, postquam omnium pertransivisset manus, ab ultimo fuisset data meo sancto Angelo Custodi; quam ille susceptam, cum indicijs gaudij, atque actis DEO gratijs, servavit in seipso. Postea conversus ad me Dominus, dixit mihi: Amica, accipe hoc donum ex mea manu, & à mea misericordia, quod tibi præsto in ista specie clavis; ea enim est mea potentia & voluntas, ut possis illâ in nomine meo, quotiescunque confessarius fueris, & communicaveris, liberare quatuor animas ex Purgatorio, quas designaveris; ad quod executioni mandandis se conferent simul tui sancti quatuor Angeli, quos tibi dedi Custodes, à Consecratione peragenda in Sacrificio Missæ, usque ad Communionem. Ego fui attonita, & obstupui tantam misericordiam, quòd existimarem istâ gratiâ DEI, posse liberari multas animas ex Purgatorio? Et dum deinde agerem cum Divina Majestate, de hac tanta munificentia, respondit mihi: Noli

Noli consternari, neque mirare, me id fecisse; ad hoc enim faciendum sum his rationibus & causis permotus. Prima est, mea bonitas, ac desiderium & prompta voluntas tibi gratificandi: secunda, quia respicio obsequium, quod mihi exhibuisti, in deducendis ad Religionem, offerendisque mihi in illa animabus, quas potuisti, ut ibi saluarentur, & mihi perfecte seruirent, volui tibi idem obsequium rependere tam largâ & benignâ manu, donando tibi tot animas, brevi tempore tuæ vitæ, ut te allaborante fruantur meo conspectu, & eruantur ex pœnis, quas patiuntur. Tertia causa est, quod istæ animæ, quibus obveniet hæc tam beata fors, sint indigentissimæ, ac destitutæ tanto auxilio & subsidio quo opus habent. Atque si ideo obstupescis, quod exiltimes per hanc misericordiâ & privilegium, quod concedo, posse plurimas animas absolvi à pœnis Purgatorij, noveris, has omnes, & cum tam enormi earundem numero, esse instar unius guttæ aquæ, collatæ cum vasto fluvio.

Cùm id audivissem à DEO, videreturque mihi, spectatâ hac ipsius gratiâ, bonû fore, si sapius iterarem Communionem, quia illam interdum, constricta à morborum symptomatibus, intermittebam, licet habeam facultatem communicandi quotidie, dixerunt mihi mei sancti Angeli nomine DEI: fac, quod soles, quodque tibi hac in re fuerit solatio, & noli propter istam gratiam curare, communicésne frequentius, an verò etiam rariùs; neque, etiamsi subinde feceris plus, quàm alioquin faceres, si frequentius sacram Communionem obtuleris pro animabus, fiet malè, sed erit opus virtutis & obsequij Divini.

Post hoc, cùm aliquantum fuisset sollicita, ut confiterer, quotiescunq; mihi diceretur Sacrum, eò quod non semper habeâ Confessarium idoneum, elapsis quindecim diebus, vidi Christum Dominum ad me venientem, qui ferebat in manu quandam globum rotundum, impositum longo manubrio, in quo erant expressæ animæ, egressæ è Purgatorio, & dixit mihi:

Marina, es afflicta, & sollicita, ut quotidie confitearis. Quiesce, & noli te affligere. Concedo, ut sufficiat, si ter confitearis quavis septimanâ, pro consequenda gratia, ut liberet quatuor animas ex Purgatorio singulis diebus, quibus communicabis. Hoc dicto, mihi porrigebat globum, sed ego illum non audebam accipere. Suscepit ipsum meus Angelus Custos, & posuit ad meum pectus, intromisitque intrâ me, nec illum unquam ampliùs conspexi.

§. III.

Verùm, ut intelligeret, eam gratiam fuisse limitatam, permisit illi DEUS evenire quosdam speciales casus. Post paucos dies, inquit, obierunt duæ personæ, diversis temporibus, quæ in vita compluragefferant publica munera, & applicatâ ipsis gratiâ, vidi illas post octiduum adhuc hæere in Purgatorio; quod admirans, interrogavi DEUM, quomodo id fieret? Divina Majestas autem mihi respondit, ejusmodi personis, quæ promeruisent graves pœnas, secundum ordinem Divinæ Justitiæ, esse diutiùs manendum in Purgatorio, & pro his animabus oportere multiplicari sacras Communiones, ut liberentur ex Purgatorio.

Aliud quid rariùs & mirabilius mihi fuit manifestatum uno abhinc anno (in Martio annè 1617.) postquam defuncta fuisset quædam persona, cui ego eram obligata. Vidi illam in terribilibus Purgatorij tormentis, ut præ commiseratione fuderim lacrymas. Obtuli pro ipsa novem Communiones, quamvis non fuerint continuatæ novem diebus, sed pluribus, & adverti tormenta illius sensim imminui. Perfolutis ijs Communionibus, vidi illam animam educatam ex illis ignibus, & quasi cõsistentem apud portam Purgatorij, junctis manibus. Tum Christus Dominus descendens de cælo ei dixit, se propter bona opera facta in vita (nominatis quibusdam) & Indulgentias à sua famula (quod percepi de me dici) illi applicatas, ipsam liberare ex ijs tormentis. Vidi eam educi ex Purgatorio, non tamen duci ad Cælum. Co-

gita-

gitabam biduo vel triduo, quidnam id esset, ac deinde intellexi, illam re verâ necdum esse in Cœlo, sed extra Cœlum, cum aliquo cruciatu, quamvis exiguo, modò hic, modò ibi oberrare instar avis, quæ afflicta circumvolat, & in diversis locis subsistit. Obstupui propterea, & interrogavi Dominum, cur illa anima non esset in Cœlo, cum tamen ipsam ob Indulgentias liberaverit ex Purgatorio. Respondit mi-

hi, gratiam mihi à se concessam, esse quidem pro liberandis ex Purgatorio animabus, atque è tormentis ignis, quæ illic perferuntur, sed ex justis suis judicijs à se quædam relinqui aliquantò diutiùs, ut purificentur cruciatibus lenioribus, easdemque, ut pro his citiùs satisfaciant, posse juvari ordinarijs Ecclesiæ suffragijs.

☉☉)**(☉☉
☉

CAPVT IV.

Quomodo liberaverit ex Purgatorio alias omnis conditionis animas, & nonnullas, quæ patiebantur propter leves culpas, alias verò, quæ ibi manserant, multis annis.



Alia ipsi, non solum eâ gratiâ, quam illi Dominus præstiterat, verùm etiam consuetis in Ecclesia medijs utenti, evenerunt notatu dignissima, ex quibus nonnulla, quæ prodesse possunt, referemus.

§. I.

CUm, ait, aliquando essem vehementer afflicta, miserus mei Dominus, dixit mihi: Anima, quid habes? quid vis? pete à me aliquid pro tuo solatio, quia id faciam. Suggestit mihi Dominus, quòd bonum foret, orare pro animabus Purgatorij, ideòque sum illum pro ipsis deprecata. Tum Dominus mihi respondit: Quot vis, ut liberem ac eruam ex pœnis, quas patiuntur? dubitabam in animo meo, quoniam peterem? quia petere paucas, mihi videbatur adversari charitati; & petere multas, existimabam esse temeritatem. Dum hærerem in ista perplexitate, vidi novem animas Purgatorij, quarum singulæ summo cum desiderio dicebant: Ora pro me, ora pro me, sum enim pauperrima, nec est qui mei meminerit in vita mortali, & nullum aliud mihi suppetit auxiliû, quàm communia Ecclesiæ suffragia. Quædam verò anima pueri, qui in tenera ætate

fuerat defunctus, circiter decennis, undè clamabat ac dicebat: Ora pro me, nam eò, quòd obierim puer, qui superflites miserunt, cogitantes, me non indigere suffragijs, permiserunt me pati; Famula DEI, ora pro me. Auditis harum novem animarum clamoribus, vehementer ijs fui permota ad commiserationem, quia cupidissimè flagitabant suam liberationem, ideòque rogavi Dominum, ut omnes novem liberaret. Et Dominus mihi dixit: Fiat, licet, quòd petis. Sed una inter illas est, cui, ut satisfaciat, deest multum. Ego verò reposui: Non, mi Domine; omnes oportet exire, ità rem istam Tua Majestas disponat. Tum Dominus: Sit ità, dixit, applica tu illi Communionem. Feci quòd iusta eram à Domino, & in momento omnes eæ animæ fuerunt exhilaratæ ac recreatæ, atque Dominus illis dixit: Ego vos absolvo ab omnibus peccatis vestris. Et Angeli earum Custodes ipsas liberaverunt, ac duxerunt ad Cœlum, summo cum gaudio & jucunditate, occurreruntque illis multi Angeli ad eas excipiendas, & fuit ingens in Cœlo solennitas, cum exciperentur.

§. II.

Aliàs, cum orarem DEUM pro quadam mea cognata, quæ migraverat è vivis

vivis, dixit mihi Divina Majestas: Visne eam videre, & audebisne ipsam inde erueri, ubi manet? Respondi: Ità, audebo, Domine. Ergo illam intueri (ajebat) & cum respexissem, vidi ipsam intra quasdam flammis, quasi alicujus pyræ, quavis non ità afflictam, sicut videram alias. Statim præmissò signo Crucis, sum ingressa flammis, atque licet fenserim ignem, non tamen magnopere. Strinxi illam, atque extraxi; & paulò post ipsam acceperunt Angeli, ac duxerunt ad Cælum. In eodem rogo, post alias, vidi duas animas, manibus junctis me rogantes, ut earum meminisssem, dicentesque se esse animas mariti, & uxoris, pauperum, mihi notorum, opificum: quibus dixi, me id facturum, & orando pro illis DEUM, ipsas liberavi.

Alio die mihi simul apparuerunt S. Pater Ignatius, & meus Parens, à me aliàs in Cælo visus, qui mihi dixit: Filia mea, non venio, ut te contristem, verum, ut tibi iussu DEI dicam, quomodo sis oblita, orare pro tuo illo cognato, qui jam pridem est in Purgatorio? cum ores pro alijs, ora etiam pro isto. Ego respondi: Pater, ac Domine mi, hoc equidem non animadverti, quamvis ipsum generatim DEO commendaverim: at nunc monita id faciam; tum mihi valedixit. Et venientes sancti Angeli duxerunt illum (*cognatum*) ad cælum, quasi ipsum comitantes, quod tamen non est ingressus. Post hoc communicavi pro anima defuncti, applicuique ipsi Indulgentias mihi concessas, ac simul pro alia anima cujusdam Religiosi, quam ego jam sciebam esse in Purgatorio, & vidi illas ab Angelis introduci in Cælum; quæ ad me conversæ, gratias mihi egerunt pro præstito sibi beneficio. Erat tantus Angelorum jubilis in Cælo, dum illud ingrederentur, ut interrogaverim, cur id fieret, fuitque mihi dictum: ideò, quòd diuturnas sustinerint pœnas.

Atque ut appareat, quasdam animas diutius manere in Purgatorio, quam communiter existimetur; rescivit in his revelationibus, aliquas sibi hæsisse viginti annis, alias quadraginta & quinquaginta, alias verò longiore tempore. Fuitque anima, que illi

dixit, se esse ad tam diu duraturas damnatâ pœnas, ut earum diuturnitas horrenda esset auditu, nisi abbreviata fuissent per suffragia.

§. III.

Quâdam vice, inquit, adfui in spiritu cuicdam infirmo, cujus incolumitatem optabam & postulabam à DEO. Vidi illum extensum humi, decussatis manibus, & indutum albâ veste. Deinde conspexi venientem quendam Angelum cum libro aperto, & Christum Dominum modicè distantem. Angelus infirmo legit in eo libro, de genibus, omnia ipsius peccata ac defectus, atque etiam virtutes ac merita, & utrisque computatis, reperit longè plura esse ejus merita, & bona opera, ideòque propter merita sanguinis Christi Servatoris nostri, & propter ipsius cooperationem, nec non id, quod pro illius anima feceram, Dominus ipsum absolvit, pronuntiavitque liberum à commissis ab eo peccatis, ac declaravit suum amicum, deditque ei suam benedictionem. Deinde illum vidi exspirantem, non tamen adverti, quonam anima ipsius migraverit. Post mortem ipsum conspexi, & intellexi esse in Purgatorio. Dixi illi, me pro eo obrulisse novem sacras Communiones, & respondit mihi, tertiâ peractâ Communionem, desituram ipsius pœnam, cujus etiam rescivi causas, atque inter alias erat nimius amor, quo fuerat prosequutus suam conjugem, & immoderata vitæ desideria. Absoluto, tertiâ die, missæ Sacrificio, cui defunctus adstitit, vidi illum cum multis Angelis ascendentem ad Cælum, alijs descendentibus ad ipsum excipiendum, cum ejus prolibus, quæ in infantia obierant.

Eodem tempore est defunctus quidam Sacerdos, meus benefactor, quem postridie obitus enixè commendavi DEO in Sacrificio Missæ, quod audiebam in meo Oratorio, cum proposito applicandi ipsi Indulgentias, quas habeo, & Communionem. Priusquam communicarem, sancti Angeli deduxerunt ad meum cubiculum illius animam. Comparebat mihi valde afflicta, erat circumdata flammis,

Ppp

vehc-

vehementèrque optabat, ut finiretur Sacrificium, quod ei videbatur diu admodum durare, tametsi non esset longum. Post sumptam à me sacram Synaxim, cessavit ipsius poëta, & comparuit pulcherrimus ac splendidissimus, indutus more Sacerdotum vestibus candidis, instar nivis. Egit mihi gratias pro charitate sibi à me exhibita, vidique illum duci ad Cælum, valde exultantem.

Aliàs, conspexi animam cujusdam Religiosi, qui mihi fuerat commendatus, ut illi applicarem Communionem, si esset in Purgatorio; quod cum semel fecissem, vidi ipsum in suo habitu, altiore loco, quàm cæteras animas, brachijs valde exporrectis in altum, & vultu elevato ad Cælum, vehementer dolentem ac afflictum: habebat circa inferiorem unius tibie partem anulum igneum, instar compedis, à quo detinebatur, nè posset abire ad intuendum DEUM. Iste erat ipsius mœror, ac dolor. Cumque illum ita viderem constitutum, sum ipsi magnopere compassa, maximè, quòd illuminata à DEO, agnoverim, pati illum in Purgatorio diu, propter non gravia peccata: ideòque, quia id acciderat sub initium noctis, & supererant multæ horæ ad meam Communionem, accepi statim unam coronam precatoriam, quæ habet annexas Indulgentias, pro liberandis animabus, & recitavi, quod mihi suggererat memoria. Fuit liberata illa anima ab illa compede, quæ ipsam detinebat, & evanescente ex oculis eâ corporeâ figurâ, vidi Spiritum illius Religiosi, absque ulla externa specie, deduci ad Cælum à sanctis Angelis; quod me magno affecit solatio.

§. I V.

ALiâ vice, multis annis post, defuncto quodam Religioso, qui complures annos exegerat in excipiendis multorum Confessionibus, meque sibi plurimum obstrinxerat, & erat vir doctus, valde collectus, ac timens DEUM; cum viderem, multas preces & Missæ Sacrificia in omnibus domibus Ordinis, ex quo ipse fuerat,

offerri pro singulis, ex eo morientibus, neglexi illum DEO specialiter commendare, quemadmodum debuissim, parvi pendendo meas exiguas preces, & cogitando, ipsum haud dubiè jam esse in Cælo. Quadam verò vice, dum ingrederer per januam mei cubiculi, ut me pro more colligerem, vidi ibi stantem Patrem valde afflictum, & tristem, & quasi fatigatum. Cumque illum conspexissem, agnovi ipsum, & intellexi, quod esset in Purgatorio, atque nonnihil turbata, dixi: JESU! estne hic iste Pater? ego sanè ipsum jam ante multos dies cogitabam esse in Cælo. Et ille mihi respondit ita afflictus: Non sum, sed in Purgatorio, propter hos & illos defectus à me commissos, quos mihi enumeravit, nec erant valde graves. Ego expavi, animadvertens, quàm parvi fortè pendamus ea, quæ nobis non videntur esse gravia, sed levia, & quàm exactè expientur in Purgatorio. Vehementer indolui, videns in eo statu istum Patrem, & intellexi à DEO, quòd mihi illum voluerit comparere, ut pro illo peculiariter orarem, quamvis meæ orationes parum profint; diceremque alij, ut idem facerent. Quod quidem præstiti sollicitè, & post aliquot dies mihi DEUS dedit speciale lumen, ut intelligerem istum Religiosum jam esse in Cælo, indicavitque mihi etiam Divina Majestas suam voluntatem esse, ut alloquerer Superiorem ejus Domus, in qua ille Pater obierat, diceremque ipsi, ut moneret Patres Confessarios, caverent hos & illos defectus, qui erant in ipsi, quos mihi ille Pater defunctus dixerat; expiari gravi cruciatu in Purgatorio. Ego id dixi, quia vidi, sic velle DEUM. Utinam sciremus vitare exiguos defectus; quia præterquam, quòd luantur in Purgatorio, sunt instar graduum, per quos fit progressus ad majores, & refrigerat charitas ac Amor DEI: neque est ullus hostis tam exiguus, qui si permittatur agere pro suo libitu, neque contra illum pugnetur, non convalescat, sibi que subiciat quidquid potest; præsertim si se occultet, simuletque esse amicum: & est pessima dispositio ad proficiendum in virtute, languere in his parvis defectibus: quia Domino DEO

DEO vehementer placet, ut ipsi demus, quidquid possumus, neque nobis quidquã retineamus. Si verò aliquid retineamus, offendimus illum, & multum perdimus: siquidem omne nostrum bonum, & diuitiã nostrã, consistunt in eo, ut deseramus uniuersã ex corde, & nos ipsos, habeamusque & possideamus DEUM, cujus ea est conditio, ut modicum nostrum velit, cum, quidquid illi dare possumus, sit parum aut nihil; atque, si aliquid est, provenit ex ejus manu, pro quo tamẽ nobis dat plurimum, utpote semetipsum. Ille sit benedictus in æternum! Amen.

§. V.

EX ijs, que hæctenus sunt narrata, clarè constat, sanctos Angelos non deponere curam animarum Purgatorij, sibi commissarum, quoadusque illas inde eruant, ac deducant ad Cælum; nunc tamen id ipsum confirmabimus nonnullis exemplis.

Mortuo quodam Nobili Juvene, cujus ego salutem plurimum exoptabam, dixi intra me, quasi non advertens, quid dicerem, ac velut ex inspiratione & motu alieno: Amice, quomodo te mors rapuit in flore tuã iuventutis? quo loco es? derepente audivi quandam vocem, me sic alloquentem: Itã est, ut dicis, sed sum in via salutis, rogo te, ut pro me ores DEUM, sustineo enim incredibiles penas. Ego fui turbata & afflicta, eò quòd præcessisset in mente mea id, quod dixi, & incepti mihi ipsi dicere, fortasse hoc totum esse imaginationem. Tunc mihi dixit meus sanctus Angelus: Quod est à DEO, noli attribuere alteri Spiritui. Qui tibi est loquutus, fuit Angelus Custos illius animæ, ut faceres, quod à te pro ipsa petivit: quem admodum etiam feci.

Cum obivisset alius Nobilis Juvenis, qualem se ostendit & factis, multumque orarem DEUM pro ejus anima, sicut antea oraveram pro ipsius incolumitate, Angelus meus Custos mihi dixit, illum valde difficulter fuisse salvatum; sed unum ex meis quatuor Angelis, sanctum Raphaëlem, ivisse ad infirmum, admonuisseque

Angelum Custodem dicti infirmi, de quodam bono opere, quod ille in hac Urbe fecisset per Marinam (revocavitque mihi in memoriam bonum opus) & propter illud fuisse intercessum pro ipso apud DEUM, ut se compararet ad bene moriendum, itã ut iniret viam salutis. Atque adverti, mihi hoc itã ab Angelo recenseri, ut mihi id rursum repræsentaret, acsi tunc eveniret. Iste enim est modus, quem Angeli consueverunt observare in quibusdam rebus recensendis.

§. VI.

Referrimus alium casum, pro magno solatio Matrum, que habent filios valde dyssolos, quorum conversionem à DEO postulant, multis cum lacrymis, sicut Sancta Monica postularit ac obtinuit conversionem sui Filij sancti Augustini. Talis erat præcipua quedam Domina, que, cum haberet ejusmodi filium, multis cum lacrymis ac supplicijs à DEO petebat ipsius salutem; quod ut obtineret, promisit sancte Monica, se subventuram alicui pauperi Virgini, ut ingrediatur quempiam Conventum Monialium sancti Augustini. Atque cum hac de re conferret cum Venabili Marina de Escobar, quam interdum invisibat, promisit, se daturam ipsi dotem, ut Monialibus adscriberetur quedam ejus valde inops consobrina. Obijt bona Domina, antequam videret satisfactum esse suo desiderio, commendatã sui voti executione filio, per quem fuit impletum. Hic perseveravit in suo vivendi modo adeò dissoluto, ut fuerit derepente occisus, relictã apud omnes malã opinionem, de sua salute. Paucos post dies (anno 1662.) ipsum vidit Marina in Purgatorio, inter horribiles cruciatus, atque attonita, quòd illum videret in eo loco, dixit ipsi: Quomodo es hic? qui respondit: Paulo antè, quàm interficerer, comparuit mihi mea mater (itã tamen ut ipsam alij non viderent) & amplectando me, cum magna mihi dixit vi, & efficaciam: Fili, reconcilia te cum DEO, quia tibi proximè instat ingens periculum. Quæ verba itã fuerunt prolata, ut, DEO adjuvante, statim inceperim dolere de meis peccatis,

æatis, cum firmissimis propositis emendationis; & non multò post me occiderunt, placuitque DEO, ut devenirem ad Purgatoriũ, ubi patior horribilissimas penas. Compatere mihi.

Vivebat, juxta meam domum, pauper quædam mulier, exiguæ prudentiæ, sed honesta, atque ut erat vehementis naturæ, non poterat refrænare linguam, & molestabat suos vicinos, quamvis fortè absq; sua culpa. Ego illam commendabam DEO, ac desiderabam, ut ipsam DEUS transferret ad aliam domum, pro suo Divino beneplacito. Immisit ipsi DEUS talem infirmitatem, ut fuerit destituta usu linguæ integro quatruiduo: non potuit cõfiteri, neque sumere Viaticum, solámque suscepit extremam Unctionem, & expiravit. Vehementer dolui, & fui afflicta, quòd ipsam scirem obivisse absque Sacramentis: commendavi illam DEO instan-

tissimè, & applicui ipsi Communionem, confidendo in DEI misericordia; quamquam semper cum dolore. Dominus autem (in Novembri anni 1622.) mihi dixit: Nè te affligas, Anima, neque te perturbee mors istius sæminæ; est enim in via salutis. Noveris, quòd eo tempore, quo caruit usu linguæ, me ipsam adjuvante, eique succurrente, habuerit dolorem de suis peccatis sufficientem ad salutem: nè proinde angereris, volui tibi id manifestare. Nolite cogitare, quòd ego tam facillè permittam damnari animas. Mortuus sum pro illis, constiteruntque mihi magno, & multum requiritur ad damnationem animæ. Non existimate, omnes illos, qui moriuntur absque Sacramentis, damnari. Fui vehementer exhilarata hoc dicto Domini. Benedicta sit ejus Majestas in æternum!

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠
✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT V.

Quomodo ipsi Dominus concesserit Indulgentias, quas posset applicare defunctis, benedixeritque illi quædam Rosaria, & de alijs hujusmodi gratijs.



Voluit DEUS remunerari fervorem, quo Marina subveniebat animabus Purgatorij, concedendo ipsi novas Indulgentias, quas posset applicare defunctis, quod illa perlibenter faciebat.

§. I.

Allatæ fuerant Vallisolerum, *sic*, quædam prelatoriæ Coronæ benedictæ, quæ habebant annexas majores Indulgentias & gratias pro liberandis animabus Purgatorij, quàm unquam aliàs fuerint concessæ. Datæ mihi sunt tres, quatuorve. Quare constituta coram DEO, in Festo S. Francisci Xaverij, gratias ipsi agebam, pro inæstimabili beneficio nostræ Redemptionis, & pro thesauris, quos habemus in

Ecclesia Catholica, meritorum ac sanguinis, fusi à Christo Domino. Subitò mihi dixit Divina Majestas: Quantum capis solatium, Anima, ex Indulgentijs concessis isti Coronæ! & bene facis. Ut autem habeas majus solatium, exhibeo tibi favorem & gratiam, ex mea voluntate, ac pro mea infinita potentia, confirmando & concedendo de novo eidem Coronæ Indulgentias, ad eum modum, & cum eo ipso valore, quo ego illas possum dare, sicut sonat benedictionem, & applico dictas gratias. Ingenti affectu solatio meam animam ista gratia, quam mihi Dominus præstitit. Postea, quodam die, intra Octavam ejusdem Sancti, dum versarer in actuali DEI præsentia, teneremque in manu aliam Coronam earundem Indulgentiarum, quas habebat solum ex benedictione Pontificiæ,

cont.

conspexi Beatum Sanctum Franciscum Xaverium; & post alia, quæ suo loco sunt commemorata, dixi illi: Sancte mi, magnas gratias nobis reliquit Dominus in sua Ecclesia; tantum id collige ex gratijs, quibus prædita est ista Corona. Sanctus respondit: Ità est, sicut dicis; multæ enim sunt Indulgentiæ concessæ à summo Pontifice isti Coronæ; sed summè æstima illam, cui ipse Dominus benedictione suam elargitus est, concedendo & confirmando gratias ac Indulgentias, quas habebat à summo Pontifice, eodem modo, quo sonat Breve. Hoc enim fecit Dominus, tanquam DEUS omnipotens, qui potest conferre omnem istum valorem, ità ut qui currite recitaverit, quod in illo præcipitur, statim lucretur & obtineat, quod ibidem conceditur; hæc autem Corona, quam tenes in manu, solummodò habet, quod illi potest conferre Papa, pro potestate sibi à DEO collata, tanquam Pontifex Ecclesiæ, & Vicarius Christi.

Videur his verbis Sanctus voluisse significare, quod dicunt Doctores, summum Pontificem in istis concessionibus se non gerere, ut Dominum thesaurorum spiritualium Ecclesiæ, sed ut Dispensatorem, ex justa causa illos distribuentem: id quod ipsi fuit aliquando indicatum, dum quidam Summus Pontifex in principio sui Pontificatus concessit Jubilæum, ut omnes DEUM rogarent, quò ipsum dignaretur illuminare ac dirigere in gubernatione Ecclesiæ: Divina enim Majestas illi dixit, hoc Jubilæum fuisse concessum ex causa sufficientissima, sibi que illud plurimum placere.

§. II.

ALià vice, inquit, mihi datum fuit Rosarium trium decadum benedictum, habens multas Indulgentias, cui specialiter fui addicta. Et optabam recitare, quod requirebatur pro obtinendis ipsius Indulgentijs, utpote trigiesies orationem Dominicam, atque in quavis decade semel Salutationem Angelicam. Sed quia id pro mea debilitate, & exiguis viribus erat multum, non poteram tantum orare,

ideoque eram aliquantum desolata. Cum autem me ità videret constitutam Dominus, dixit mihi: Anima, noli tristari, quòd non possis orare in isto Rosario omnia requisita, pro lucrandis Indulgentijs plenarijs, quas habet, ego enim ex favore & gratia mea tibi illas concedo, qualemcunque in eo dixeris orationem, quantumvis sit brevis. Mea anima obstupescens tantam bonitatem ac misericordiam sui DEI, & admirans incomprehensibilia ipsius ac altissima judicia, laudabat illum, & benedicebat, ajebatque: estne possibile, Domine, quòd huc usque se extendat Tua Bonitas, & amor erga tuas creaturas? Quid miraris, Anima? dixit Dominus, me ità tecum agere, jam enim sunt quindecim anni, ex quo te detineo in lecto, ut non possis frui Indulgentijs & Jubilæis, concessis à Pontifice in templis? Mea anima fuit vehementer exhilarata hac gratiâ sibi à Domino præstitâ, & æstimavit valde istud Rosarium, habuitque illud in magna veneratione.

Postridie manè, agendo cum DEO, vidi descendentes ex Cælo plurimos Angelos, quorum magna pars remanebat in aëre, alij verò multi veniebant ad terram, ubi se universi prostraverunt; & Christus Dominus descendebat ex supremo Cælo cum magna majestate, pertranseundo illos omnes, qui bipartiti efficiebant regiam & gloriosam viam, per quam progrediebatur. Pervenit usque ad terram, & postquam confedit in throno quodam regio, non adeò procul à me, stipantibus ipsum omnibus illis sanctis Angelis, duo ex iisdem accesserunt ad Dominum, collocaveruntque coram eo elegantem & pretiosam pelvim, ac tum vidi advenientem quendam sanctum Angelum cum Rosario, quod ego habui in meo sinu, & ipse injecit in illam pelvim, quæ erat ante Dominum, tanto excitato strepitu, ut videretur in eam injecisse magnum aliquem cumulum pretiosorum lapidum. Dominus apprehendit illud Rosarium suâ sanctissimâ manu, ex qua transpositum ad alterâ denuò resumpsit, transtulitque secundò ad priorem manum, ac tum consecravit trinâ solennissimâ

nissimâ benedictione. Quod videns mea anima, erat attonita, & vehementer stupebat, ut erat timida, ac dicebat suo loquendi modo: Bone DEUS, Rosarium est in meo sinu, & simul in manibus Domini? Atque in ea cogitatione volebam tangere manu Rosarium, quod apud me habebam, sed intuitus me Dominus graviter, dixit mihi: Quid volebas facere? nunquid fortè vis rimari veritatem meorum Judiciorum, & altissimorum mysteriorum, ac dicere: si res ista existit hîc, quomodo est ibi? Quo Domini dicto, mea anima fuit vehementer objurgata. Derepente vidi recedentes à Domino Angelos, qui tenebant pelvim: atque ecce inter ipsos & Christum Dominum, apparuit clarissimus & lucidissimus Sol, qui suis radijs ac splendore mihi obtexit Majestatem Christi Domini, ut ipsum vix viderem. Hic Divinus Sol Justitiæ arripuit Rosariû, & postquam illud reposuisset in semet ipso, illisque Divinis radijs undique collustravisset, ut quasi à me non posset conspici, & recessissent Angeli, venit ad me, atque Divino quodam & mystico modo feriens meum pectus Divinis quibusdam radijs ex eo prodeuntibus, ingressus est paulatim in meam animam cum magna suavitate & amore, dimittendo à se Rosarium, quoad usque illud reponeret in loco, in quo prius fuerat. Conspexi in meo sinu idem Rosarium, quod tamen non sum ausa contingere manu, donec meus Confessarius mihi id mandavisset, sustulissetque illud ipse suâ manu, ac mihi porrexisset.

Die sequenti, quo peragebatur Commemoratio Defunctorum, vidi in meridie Majestatem Christi Domini, more consueto, cujus lateri dextro & sinistro adhærebant nonnullæ animæ tristes & afflictæ. Dixitque mihi Dominus: Hæ animæ sunt jam diu in Purgatorio, nec est repertus, qui earum curam susciperet, erant enim pauperes. Volo, ut tu illas liberes ex tormentis, quæ sustinent. Recitabis pro qualibet, tenendo hoc Rosarium in manu, quatuor orationes Ecclesiæ, quibus à te recitatis egredientur ex Purgatorio, atque hoc facies ad mediam usque noctem. E-

rant duodecim animæ; singula latera stipabant senæ. Feci id, atque sic pervenerunt ad conspectum DEI. Post paucos dies mihi comparuerunt gloriosæ, intra quandam nubem, exerentes capita, & rogabant Beatissimam Virginem per gaudium, quod habuit in Nativitate sui Filij, & quando illum educabat, ut mihi præstaret aliquam gratiam, pro beneficio ipsis exhibito, dum illas liberavi ex Purgatorio.

§. III.


Quodâ die (10. Februarij anno 1623) agens cum DEO, sum recordata Indulgentiarum plenarum, quas mihi concessit, si recitarem semel Orationem Dominicam, & semel Salutationem Angelicam, ac ter Gloria Patri, &c. Propter meos verò timores, incepti dubitare, utrum possem, quod ad me attinet, hac inre decipi, nec ne. Tum meus Sanctus Angelus mihi dixit graviter: Verè, Soror, es incredula, & inurbana. Ego me converti ad DEUM, petens mihi ab ipso ignosci meâ culpam. Divina Majestas autem mihi quàm benignissimè dixit: Nè te affligas, Anima, jam enim ego novi tuos timores & naturam, ex qua id oritur. Non deliquisti; nè contristeris, neque te angas: scias, velim, quòd quotiescunque fueris passa quidpiam speciale, tibi sim aliquam novam gratiam præstiturus. Post istam communicationem, jussi eximi ex quadâ cista duo Rosaria, ut unum illorum mitterem cuidam pauperi Moniali, quæ fuerat educata domi meæ. Fuerunt posita supra meum lectum, & vidi, quòd meus sanctus Angelus Custos illa contemplantur, dixiq; ei: Domine Angele, visne mihi benedicere unum ex his Rosarijs, quod mittam illi famulæ DEI? Respondit: Non, Soror, id enim ego modo non possum facere: est negotium majoris considerationis. Relinque illa hîc, & deponere eorum curam. Feci, quod mihi mandaverat: & aliquantò post ipsum vidi provolutum in genua, junctis manibus, atque in illis meum Rosarium, petentemq; à DEO Nostro Domino, Trino & Uno, ut illud bene-

benediceret, atque Dominus præsentibus multis Angelis, tenentibus accensos cereos, ei est impertitus suam benedictionem.

§ IV.

UT verò semel concludamus, quod con-
cernit benedictionem Rosariorum, vel
Crucum, aut Numismatum, per sepe ea ipsi
benedicebat Christus Dominus, vel ejus An-
geli, ut illa plurifaceret; quæ distribuebat
pijs personis, aliquid ab ea ex rebus ipsius pos-
sentibus, non manifestando illis secretum
benedictionis, sed occultando hæc mysteria,
quoad possit. Huc spectantia referemus non-
nulla breviter, quæ illi evenerunt. Inter
agendum cum DEO, ait, aliquando in-
vocavi Divinam Majestatem; & subito
conspexi juxta me Majestatem JESU Chri-
sti Nostri Servatoris, stipatam magnâ mul-
titudine Angelorum, cum tanto splendore,
ut meum cubiculum videretur esse Cæ-
lum. Dominus mihi dixit: Adsum, quid
à me vis? Ego fui turbata & confusa, cum
illum viderem, ac tantopere pudefacta, ut
nescirem, quò me verterem. Dominus
autem iterum mihi dixit: Adsum; & post
bonam moram: dic mihi modò, quid ve-
lis? quo opus habes? dabo enim id tibi.
Sancti Angeli subito erexerunt quendam
veluti thronum & sedem mysticam, quam
collocaverunt quasi juxta meum lectum,
ubi Dominus quàm gravissimè confedit,

superimpositâ unâ suâ sanctissimâ manu
alteri, iterumque mihi dixit: Dic mihi,
quid velis, ac desideres: omnia enim fa-
ciam. Quando vidi Divinam Majesta-
tem, adeò mihi vicinam, cum magno me-
tu ac pudore me modicùm retraxi intra
lectum, ac dixi: Domine mi, ego nihil vo-
lo, ego nihil volo, præter ea, quæ ordinariè
à Te peto. Habebam tunc in manu quod-
dam album parvum Rosarium, & rogavi
Divinam Majestatem, ut illud benedice-
ret. Dixitque mihi Dominus, se quàm
libentissimè benedictionem impertiturum
tam mihi, quàm etiam omnibus meis ve-
stimentis, omnibusque Rosarijs, quæ ha-
berem. Tum ego cogitavi in animo meo:
quomodo benedicet Dominus Rosaria,
quæ ego habeo in meis cistis? Dominus
autem mihi respondit: Esne similis Mar-
thæ, quæ mihi dixit, quòd, si adfuisset,
non fuisset mortuus ipsius frater? nonne
ego potero benedicere Rosaria absentia?
Surrexitque Dominus, ac dixit: Benedi-
ctio mei Æterni Patris, & mea, ac Spiritus
sancti, sit tecum, atque cum omnibus tuis
rosarijs ac vestibus; & designans suâ san-
ctissimâ manu crucem, mihi bene preca-
tus est, abiens à me cum magno amoris at-
que benignitatis indicio, consolando me,
& vehementer animando, dixitque mihi
Amica, Vale.




CAPUT VI.

Quomodo ipsi Dominus manifestaverit corrupte-
lam mundi, quantòque sint mali plures bonis, & quàm tremenda sit
infelicitas malorum, ut pro omnibus oraret.

Quia miseria peccatorum, de-
gentium in mundo, sunt
longè majores, quàm justo-
rum existentium in Purga-
torio, quemadmodum cul-
pa majus est malum, quàm
pœna, longè frequentius DEUS manifesta-
vit suæ Famulæ has peccatorum miseras,

excitando ejus Zelum, ut pro ipsis oraret, ac
impediret supplicia, placaretque DEUM il-
lis iratum. Multa ex his revelationibus sunt
relate in libris antecedentibus: modò refe-
remus alias directas ad prædictum finem.



§. I.

§. I.

DUm, *inquit*, aliquando manè (in Aprili anno 1620.) agerem cum DEO, prorsusque nihil cogitarem de eo, quod ipsius Majestas mihi subito ostendit; vidi desuper pendentibus, quasi ex suprema contignatione patente, & veluti destituta asseribus, multos & grandes funes, aliquantum crassos, & quasi implicatos. Obstupui, & fui afflicta eâ visione, conatâque sum me abstrahere ab illa, quantum potui; sed non poteram avertere oculos animæ, ab eo, quod mihi Dominus exhibebat, utcunque conarer. Conspexi derepentè venientes multos homines, diversimodè affectos, quamvis essent quasi ejusdem status & conditionis. Veniebant autem omnes quodammodo cumulatim, certantes, quis posset fortiter arripere aliquem ex ijs funibus ibi pendentibus, & per illos ascendere in altum, ubi erat ingens quidam thesaurus, ut ipsum comprehenderent, eoque ditarentur, & redderentur beati. Laborabant vehementer, & sudabant, ut firmiter adhærent funi, & reperent per illum sursum; sed difficulter id assequerentur: modò enim non pertingebant ad arripendum illum funem, modò verò is, quem arripuerant, ipsis evadebat ex manibus, atque ita fatigabantur, & majorem in modum delassabantur. Tandem tamen suæ perseverantiæ pretium referentes, repondo, tanto cum labore, ac difficultate, per suum quisque funem, perveniebant sursum, atque celerrimè & lætissimè complectebantur, ut poterant, partem illius thesauri, quæ ipsis obtingebat. Dum autem ita lætarentur, existimantes, se assequutos esse, quod optaverant, nescio quâ ratione se involvebant & intricabant eo fune, per quem ascenderant, ut decidentes hærent collo suspensi, & suffocati ac mortui, magno cum dolore & angustia. Atque tum, cum ita penderent, resolvebatur supernè funis, & singuli, stringentes suum thesaurum, ruebant in terram cum summo tumultu ac strepitu, absorbebatq; illos terra ingenti vi, & devolvebantur in quandam abyssum. Solus DEUS novit

angustiam ac dolorem, & cruciatum, quæ mea anima sensit in hac visione. Sed confortata & animata à Domino, quievi aliquamdiu.

Interea aspexit mea anima aliorum, & vidit aliud mysterium hujusmodi: Multi Angeli DEI erant in alto quodam Cælo, quasi Paradiso; singuli tenebant pendentem ex sua manu quendam funiculum, instar fili delicatissimi, ex purissimo auro. Hæc visio me vehementer obstupescit, præsertim propter visum præcedens. Subito vidi multos homines, valdè honoratos, & servos DEI, ac modestos, transeuntes sub illo cælo, & sub filis aureis, quæ Angeli tenebant pendentia ex suis manibus, ad quandam locum, in quo exercebantur multæ & variæ artes, ut singuli suâ possent exercere, & lucrari partem panis, pro sustentanda sua vita in obsequio DEI, & ad ipsius gloriam. Ideò transibant sub eo Cælo; sed cum illac præterirent, advocabantur suaviter ac benignè ab Angelis DEI, suprâ existentibus, & ipsi auditâ voce Angelorum, attollebant caput, visisque illis cum aureo filo, quod quisque tenebat in sua manu, incitati aviditate ac desiderio eundi, quo vocabantur, singuli firmiter apprehendebant illud filum, confidentes in DEO, se per illud ascensores ad Cælum, & Paradisum, ubi manebant sancti Angeli. Neque spe suâ fallebantur: quia statim illi sancti Angeli, mirabiliter, & in momento eos elevabant ad illum Paradisum, ubi replebantur gaudio, solatio, & suavitate Divinâ. Hoc spectaculo mea anima fuit recreata, & confortata in Domino, quia ab ipso illuminata, agnovit, per illos insignes homines representari multos & magnos servos DEI, quos habet Divina Majestas sui amantes, sibi que serio & ex corde servientes, dum singuli fatigantur opere & labore manuum suarum, cum sudore vultus sui, DEO ipsos juvante, in sanctis eorum exercitijs & occupationibus, ac ministerijs, in quibus illos constituit; & quisq; suam fert crucem, in nomine Domini. Hujus visionis solatio mea anima fuit satis diu exhilarata, ac tum reverſa est ad conversandû cum DEO, sicut prius.

Verum

Verum non iste solum fuit finis visionu, quas DEUS meae animae illa nocte & eo matutino tempore exhibuit, quia mea anima ex improvise conspexit grandem campum, in quo multi daemones, cum magno labore ac defatigatione congebant ingentes & altos, instar illorum, qui fieri consueverunt in arceis manipulorum demessi tritici, acervos humanorum cadaverum, quae alij daemones properanter adferebant, alij accumulabant & coacervabant, atque post congestas multas tales strues, abiverunt. Aliquantum autem post, reversi cum magno impetu, strepitu ac tumultu, quibusdam magnis uncis & harpagonibus ferreis, apprehendebant homines illi infelicis mortuae turbae, quos habebant in struibus, atque raptabant ipsos, & quam velocissimè auferebant, dilaniabant, ac projiciebant ad quendam hiatus Inferni patentissimū, abominabilem, & profundum. Hi miserabiles homines erant ij, quos antea diabolus suspenderat. Significavit mihi DEUS officia & status, in quibus fuerant damnatae illae infelicis animae; ex quo mea anima magnum percepit dolorem, fuitque confusa, & remansit egregie compuncta.

§. II.

Aliis (in Augusto, anni 1620.) vidi Christum Dominum in sublimi throno, qui cōscendebatur per multos gradus. Praecipit Angelis, ut me eò ducerent. Ego, quidquid mihi fuerit, vehementer timens, ne me reprehenderet, propter meos defectus, tergiversabar; ipsi autem me re verà duxerunt. Dixit mihi Dominus: Aspice ad utramque partem, & post me, ac attende, quid sis visura. Elevavi oculos, & vidi multos homines valde foedos ac abominabiles; atque intellexi in illis representari innumerabilia, & enormia peccata, quibus est refertus mundus. Dixitque mihi Dominus: Quid tibi hac de re videtur? quid oporteret fieri? Ego obmutui. Quia nec audebam dicere, ut illis ignosceret, neque ut ipsos puniret. Instabat Dominus: Si tu esses Judex, quid faceres? Cum me viderem redactā in angustias, suggestit

meae memoriae Dominus responsum, & dixi illi: Domine, nescio, quid dicam, nisi quod tu dixisti ijs, qui à te petebant, ut condemnares mulierem adulteram: *Qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat:* cum ego me videam tantam peccatricem, non possum ipsos condemnare, sed suppliciter rogare Tuam Majestatem, ut eorum miserearis. Dominus respondit: Bene dixisti, faciam id; significavitque mihi, quod esset miserturus tot animarum, quot fuerant homines, quos videram.

§. III.

Alio die (in Decembri anni 1620.) me duxit Dominus ad locum valde altum, & ibi mihi dixit: Contemplare hinc, Anima, istum campum. Et vidi campum quendam plenissimum & amplissimum, ac peramenum & gratiosum, plenum hominibus, qui erant plurimi, omnesque apparebant formosi, optimo praedicti corporis habitu, & compti. Illuminavit me verò Dominus, ut agnoscerem, non esse homines interne bonos, sed deditos suis sensualitatibus & oblectationibus mundanis. Hunc campum circumdabat vastus quidam & praecipuus fluvius, qui ex improvise tantopere & undique excrevit, ut absorberet ac submergeret omnes eos homines, nullo cujusquam relicto indicio. Obstupui, videns tam exiguo tempore, perijisse totam illam pulchritudinem, & Dominus mihi dixit: Sic fit in mundo, quia in momento venit mors, quae est rapax fluvius, & submergit atque absumit omnem istam vanitatem, sicut vidisti.

Aliā vice mihi comparuit quidam vir crucifixus, procul elevatus à terra. Subitò adverti, non esse Christum Dominum, & averti ab eo oculos: verum fui coacta, ipsum aspicere, vidique illum descendisse in sua cruce usque ad terram; post ipsum autem conspexi multos daemones, qui repetitis malleorum ictibus, impetebant eam crucis partem, in qua erant clavi, & ille miserabilis ostendebat, se enormem sentire dolorem. Converterunt se ad me daemones, & dixerunt: Etiam nos habemus

mus cruces, in quibus crucifigimus nostros, sicut DEUS crucifigit suos. Et iterabant ictus tam validos, ut fuerit confractum unum crucis brachium, remanente in illo, manu acclavatâ. Eodem modo, fuit ictibus ruptum alterum brachium, ac deinde inferior pars crucis, ceciditque ille homo ad terram; & statim venerunt quidam viri, qui ipsum arripuerunt & abstulerunt, qualem repperunt, quos sunt infecuti diaboli, cum magno ululatu. Cōsternatæ mihi propterea, & nescienti, quid hoc esset, dixit Dominus: Hi crucifixi sunt illi, qui propter suas voluptates sensuales patiuntur gravia tormenta, & qui in mundo, vel in Religionibus vivunt afflicti, eò quòd prætant honores ac dignitates, vel favores. Id tibi ostendi, ut pro illis orares, sicut pro alijs in necessitate constitutis, quod tibi commendavi.

§. I V.

Eodem isto tempore mihi dixit Dominus: Marina, veni mecum; es enim confecta doloribus & afflicta, ego autem te recreabo: Et cum hoc diceret, reperi me cum Domino DEO meo, sanctisque meis Angelis, in sacro loco, in quo est sanctum sepulchrum Domini, quod adorabam, & iteratis venerabar oculis, humi prostrata, cum summo affectu ac devotione, & solatio meo. Inde fui ducta ad palatium Regis infidelis earum Regionum, ubi mihi est ostensus ille Princeps. Erat nox, & decumbebat solus in lecto extensus, præsentem maximo quodam dæmone, & robustissimo, qui à pedibus usque ad caput erat armatus, & gerebat grandem bipennem in manu; perambulabat conclave cum magna furia, & quàm impetuosisimè, videbaturque illum infelicem Regem habere subditum suæ voluntati, ac magis dominari isti creaturæ, quàm ullus Dominus mancipio, empto suâ pecuniâ. In angulo illius magnæ aulæ, vidi Angelum, qui præferebat valde tristem vultum.

Inde me duxerunt ad Palatium alterius Regis hæretici, ubi illum vidi in ejus lecto circumdatum à multis, circa ipsum ve-

mentum multantibus, & vociferantibus diabolis. Indolui vehementer hæc videndo, quòd tam multi homines subditi sint diabolo, & tam pauci præditi luce Evangelicâ, atque hi ipsi tam sint tepidi in servitio & amore DEI. Sed consolatus est me DEUS plurimum, lumine mihi dato, quo vidi primam ejus Majestatem opulentissimam, gloriosissimam, & undequaque ornatissimam cum suis illis paucis; dæmonem autem cum tam multis hominibus miserabilem, contemptum, & majora inferni tormenta perpetientem. Dixitque mihi Dominus, ut qui omnia optime agit, ac permittit, estque idcirco omnibus contentissimus. Animadvertite, Anima, ego reponam in meo horreo triticum purum, & mundum, paleam verò tradam ignibus infernalibus. Vehementer obstupuit anima mea, quæ vidit ac audivit dici à suo DEO, & magnas illi pro omnibus egit gratias.

§. v.

Post paucos dies, vidi Angelum candido equo insidentem, qui vibrabat quandam lanceam, unde non nihil extimui: Sed dixit mihi: Tu non habes, quod metuas, DEUS me mittit ad destruendos & præcipitandos ad Infernum multos peccatores, qui id promeruerunt. Interrogavi illum: Süntne Mauri? Non, inquit, sed hæretici & mali Christiani: verum, & in hoc relucet Divina misericordia, quòd cripiendo ipsis vitam, eos liberet à majore Inferno. Subito Angelum utrinque præterivit turba dæmonum, qui illum antecedeabant, & Angelus mihi dixit: Ora DEUM, ut me confortet in hoc opere. Ego autem dixi: Ergone, sancte Angele, potes timere diabolum, maxime cum sis missus à DEO? Respondit: Non recordaris, te audivisse, altercatum esse diabolum cum S. Michaële, de corpore Moyfis? diabolus enim cupit impedire opera DEI. Ego vado, vale. Accipe hoc telum, quo impetas diabolum, nam illo indigebis. Vix abiverat, quando vidi remanentem truculentum quendam dæmonem

in spe

in specie tauri, qui me aggrediebatur; & quia eram debilis, si me inuassisset, quamvis id contigisset in spiritu, grave mihi intulisset damnum. Postquam mihi appropinquauisset, impetij illum in capite, telo, quod tenebam in manu, & ipse confestim concidit instar mortui. Subito autem alij diaboli arripuerunt illam larvam, & abstulerunt, cum magnis eulatiibus.

Concludamus alia visione. Quodam die Sanctissimæ TRINITATIS, quinque pulcherrimi Angeli confidentes in quibusdā sellis humilibus, acceperunt sua instrumenta musica, & cecinerunt laudes DEI Domini nostri, Trini ac Unius, tam submisit, ut eas non perciperem; solum scivi esse laudes variarum linguarum: dixeruntque mihi, id fieri, ad significandum, in omnibus nationibus reperiri Ecclesiā, quæ laudat & confitetur DEUM. Paulò post vidi venientem quendam pumilionē staturā adæquantē Angelos, valde fœdum, qui acceptis eorum instrumentis volebat edere sonum musicum; non erat autem concinnus, sed vehementer dissonus. Post modicum tempus venit alius ejusdem stature; non tamen adeò turpis; & cum se Angeli erigerent ex sellis, accurrit instar famuli, ut illas amoveret; sed impingebat, & malè hoc obsequium præstabat. Suspicebam, ut eram timida, an ultimum istud fortasse non esset imaginatio, quod mihi apparebat. Angeli autem dixerunt, non esse: sed illum, qui prius venerat, repræsentare infideles & hæreticos, qui agnoscunt DEUM & Christum Dominum, sed aberrant à modo ipsius honorandi ac laudandi eā veritate, quàm docet Fides: secundum verò repræsentare peccatores Ecclesiæ, qui piè venerantur quosdā Sanctos, iisque exhibent nonnulla obsequia, quod tamen illis, quia sunt in malo statu, parum prodest.

§. VI.

Aliàs (17. Martij 1623.) dum essem aliquantum otiosa, agerem tamen cum DEO, sanctus meus Angelus Custos manu apprehendit meum brachium, & dixit: Aspice, Soror, & noli turbari. Ele-

vavi oculos, & vidi ingentem catervam diabolorum, quasi vincitorum catenis, qui edebant magnum strepitum, & eulabant; progressi pervenerunt ad quædam fata ac vineas, nescio quam partem versùs fitas; & pessum dederunt totam illam regionem, ut penitus desolaretur. Tum processerunt ad mare, ubi exercuerunt enormem crudelitatem, & excitaverunt immanes tempestates. Inde exscenderunt ad quandam terram, non multum habitatam, & habentem paucos homines, quos omnes malè tractaverunt. Postea sunt profecti ad quandam planitiem, ubi erat magnus numerus hominum, instar exercitus. Istud erat valde remotum, & videbantur esse Pagani. Ibi cum ijs confixerunt, & vicerunt illos, omnesque secum præcipitaverunt ad Infernum. Vehementer indolui, & fui afflicta, videns tot animas perdi. Nescio, quid hac in re mihi Dominus voluerit indicare aliud, quàm quod solet.

Sub idè tempus (in Augusto anni 1623) quod mihi dicebatur esse procellosum, & noxijs horridum tempestatibus, dum commendarem istam necessitatem DEO, dixit mihi: Accede, Anima, veni mecum. Duxit me Divina Majestas ad patentem quandam campum, in quo mihi ostendit spississimam nebulam, intra quam erant multi homines harum Regionum (hoc autem accidit eo tempore, quo deprehensi fuerunt hæretici Illuminati) quibus erant immixti plurimi diaboli. Erat inter illos ingens confusio, & vociferatio, atque disceptatio, quasi clamorè cum ipsis diabolis conferrent modos, conservandi suos errores, ac nequitas. Tum mihi Dominus dixit: Vide, Anima, quid fiat, vide, & noli consternari, quod eos puniam malis tempestatibus, & totum populum, ubi id agitur. Fui magnopere afflicta, visis talibus peccatis & sceleribus, dixique meo Domino cum magna commiseratione: Domine, istæ pœnæ etiam comprehendunt innocentes, qui non peccaverunt. Dominus autem respondit: Pro bonis nulla erit pœna, ego enim inde pro ipsis eliciam magna bona, & omnia convertam in eorum commodum.

CAPUT VII.

Quomodo DEUS ipsi manifestaverit miseriam hominum, cò quòd non utantur bene remedijs, quæ reperiuntur in ejus Ecclesia, ut pro illis oraret.



Um quodam die agerem cum DEO, dixit mihi: Anima mea, veni mecum, & introducam te in cellaria meorum vinorum, videbisque meas regias Apothecas. Audiens id mea anima dici à suo DEO, admirabili illo modo, quo se Divina Majestas solet communicare, fuit quasi raptà in ecstasim, & non respondit ullum verbum. Dominus mihi iterum dixit efficaciter: Eja, Anima, veni mecum, si vis, & ducam te, quò te dixi à me ducendam. Tum mea anima secuta est suum DEUM, qui illam duxit ad quendam locum amplissimum, ubi in quodam veluti pharmacopolio, mirum in modum exornato & opulento, optimèque coordinato, erant infinita medicamenta tam admiranda ac pretiosa, & ejus qualitatis, tantæque virtutis, ut fuerint potentissima ad reparandam sanitatem, conferendumque vigorem ac robur, & vitam omnibus ægris, qualemcunque patientibus infirmitatem, & quantumlibet gravem, si illis vellent bene uti, easque applicare suis necessitatibus, ac debilitati. Hæc omnia tum agnovi, & conversa ad DEUM, vehementer obstupescens, illi dixi: Mi Domine, ac DEUS mi, cum habeas in tua Ecclesia tantam apothecam, & in ea tam multa remedia, tamque pretiosas medicinas, & potentes ad conferendam sanitatem & vitam, quomodo non curantur & sanantur morbi, ac vulnera tui populi? Dominus respondit: Iste, mea Anima, est meus dolor, & hoc est, ob quòd vehementer queror de meo populo. Deinde dixit Dominus: sed modò, veni mecum, Anima, & videbis, quid fiat. Mea anima necessebat moras, & non poterat induci, ut iret cum suo Domino, sicut illi mandabat, partim præ admiratione, quòd

videret talia ac tanta mysteria, partim vero propter suam verecundiam, & solitos timores. Verùm Dominus denuò dixit scribè: Age tandem, Anima, veni mecum, duxitque me Dominus ad quoddam nosocomium tam magnum & amplum, ut videretur esse instar totius mundi. In hoc erant infiniti infirmi, laborantes ex multis ac diversis morbis, quorum alij erant gravissimi, alij periculosissimi. Quidam ægri erant debiles & languidi; alij manci, contracti; alij ulcerosi, & leprosi; innumeri decumbentes in lectis, & multi humi. Dum mea anima videret hoc triste spectaculum, non conspexit ullos infirmorum curatores, neque medicos, qui illud nosocomium regerent, illive providerent, aut curarent toe illos ægros, ac tam afflictos, & indigos; quod me movit ad magnum dolorem & compassionem; atque conversa ad Dominum, dixi illi: Quid est hoc? mi DEUS quàm est res ista miserabilis! sicine hi tam multi infirmi moriuntur hic, ac deo derelicti, non habentes, qui illis inserviat, & applicet medicinas, quibus indigent, pro recuperanda valetudine? hoc dicens, vidi ingredientes in illud nosocomium quosdam medicos colloquentes, imperitos, ut apparebat, ac paucos. Cùm hi accessissent ad infirmos, explorabant illorum pulsus, & præscribebant talia remedia ac tales medicinas, ut nec essent opportuna, nec efficaces, neque aptæ pro morbo, quem patiebatur æger; & indigenti certo quopiam remedio, applicabant aliud, penitus diversum: cibi, quos illis decernebant isti medici, minimè conveniebant eorum necessitati; ita ut mera ibi esset rerum confusio & perturbatio. Curatores autem infirmorum prorsus non comparebant. Postea vidi intrantes alios duos medicos, qui mihi videbantur viri graves & sapientes. Hi

fuâ charitate & scientiâ non nihil remedij adhibuerunt illi confufioni; sed modicè & paucos curaverunt, integrâque fanitati reftituerunt. Videns mea anima hunc tam miserabilem & plenum myfterijs cafum, convertit fe ad Dominum, & dixit: DEUS mi, & Domine mi, fi totus mundus eft hofpitale infirmorum, & hac ratione ægrotat, atq; tam difficulter reperitur, qui illum curet, applicetque ipfi remedia, verifatur in magno periculo (id enim mea anima intellexit in his fymbolis) dic mihi Domine, ubi funt, & ubi morantur fani & benevalentes, quos in illo habes? Hi (respondit Dominus) funt admodum pauci; confidera, qualis fit mundus. Verum veni mecum, & ostendâ tibi illos, dixi enim tibi, quod te efferam ducturus ad cellarium meorum vinorum. Duxitque me Divina Majestas ad quendam locum, qui videbatur esse Paradifus terrestris. In hoc loco erant pauci homines, comparati cum multis, qui fuerant in hofpitali. Erant verò valde præclari & affabiles, humiles, bonæ naturæ, magnæ charitatis, diligebant fe mutuo in Domino, mirum in modum; omnium erat cor unum, & eadem voluntas; erant fideles, & veraces, ac rationabiliter agentes, non discrepabant in veftitu; omnes cupiebant esse æquales, omnes eadem accumbebant menfæ, & eodem veſcebantur cibo, nihil audiebatur inter illos aliud, quàm hymni & laudes DEI; sanctæque erant hilares, & Angeli DEI ipfos invifebant ac protegebant. Summo meâ animam affecit folatio hæc vifio; quam illi DEUS ipſius exhibuit, & gavifa est in Domino, quem idcirco benedicebat. Dixitque tum Divina Majestas: Jam vidifti omnia, quæ tibi monſtravi. quid modò facis? videamus, an ſcias, quid tibi fit agendum? Jam vidi Domine (ajebam ego) hæc fymbola, & plena myfterijs ænigmata, quæ mihi monſtraviſti. Id, quod ego exiſtimo, te à me velle, mi DEUS, eſt, ut mihi met ipſi timeam, nè ſim una ex infirmis illius hofpitalis, utque compatiar meis fratribus ac proximis, & à te poſtulem miſericordiam, pro me, & pro ipſis. Bene di-

xifti, Anima (respondit Dominus) bene dixifti. Itâ fac, & nunc vale. Hoc dicto, diſceſſit, ſtatimque mihi incidit iſta cogitatio: Dominus mihi oſtendit infirmos ac debiles, & periculofè decumbentes, unâq; mortuos (quos etiam plurimos vidi in hofpitali) oſtendit mihi præterea fanos & robustos, non exhibuit mihi autem languidos valetudinarios, & non uſque ad eò bene fanos: hos ego non vidi. Quales, oportet, ſint iſti, & quis illorum curam gerit? Dum id cogitarem, dixit mihi Dominus: Hi funt multi, & funt illi valetudinarij ſecundum animam, qui dicunt ſe acquiſcere, ſi non ægrotent lethaliter, abſtinendo à peccatis gravibus, ſeu mortalibus; cæterum, quod attinet ad alia leviora, non referre, ſi vivat prohibitu, juxta ſuam voluntatem & genium, ac indulgeant ſuis naturalibus propenſionibus & affectibus. Hunc animarum ſtatum, quamvis ille non excludat meam gratiam, noveris eſſe magno expoſitum discrimini, atque talem, ut, qui in ipſo ſunt conſtituti, verſentur in proximo periculo illius perdendæ. Tales ſibi ipſis medentur, pro ſuo arbitrio, ſollicitè caventes, nè incidant in gravia peccata: ſed cum ſint languidi, ac debiles in amore DEI, quando ſe offert vehemens occaſio, adêſtque potens hoſtis, facilè labuntur & ſuperantur. Iſti ſunt, Anima, de quibus modò quæris.

Paulò poſt, eâdem Septimanâ Sanctâ, dum mihi adêſſent mei ſancti Angeli, Minor ex ipſis, attingit meam manum, quam habebam diſcoopertam, dixitque mihi, ut illam amoverem. Et ſtatim vidi prodeuntem ſub lecto terribilem ſerpentem, ſeu lacertam, anterioribus ſuis ac poſterioribus ingredientem pedibus, & longiſſimâ caudâ horridam, atque tam propè me repentem, ut manum meam attingiſſet, ſi fuiſſet expoſita. Aſcendit ad tegmen lecti, unde illam vidi abſcedentem valdè procul ad remotiſſimum quendam campum, ubi erat ingens multitudo, longâ lugubri veſte indutorum. Cùmque eò perveniſſet, deſiliit per quendam hiatus in abyſſum Inferni, quam ſequentes & illi omnes

mnes lugubriter vestiti, se præcipitaverunt. Id mihi admiranti dixit Dominus: Hi atrati, quos vidisti, sunt, qui confitentur peccata, & obligati ad restitutionum rei alienæ, vel honoris, nolunt illam præstare, ac propterea damnantur. Ora pro illis, ut agant veram penitentiam.

(e)**(20)

CAPVT VIII.

Quomodo illam DEUS docuerit, quòd opera suæ misericordiæ sint plura operibus iustitiæ, quòdque mitiget suam iram, propter preces Beatissimæ Virginis & Sanctorum, nec non quorundam pusillorum, commorantium in terra, similibus isti suæ famulæ.



Tantum incutiunt terrorem, quæ dicta sunt de Iustitia DEI, adversus impios, eorundemq; multitudinem, ut necesse fuerit, DEUM declarare suæ famulæ veritatem illius dicti Davidici, miserationes ipsius esse super omnia opera ejus. Id quod illi multis rationibus comprobavit ac similitudinibus, quæ referentur in sequentibus revelationibus, ita tamen, ut suum quoque locum obtineat Divina Iustitia.

§. I.

DUm, ait ipsa, quodam die conversarer cum DEO, illuminavit meam animam, ut clarè cognoscerem magnitudinem ipsius potentia, ac infinitæ essentia, & quomodo intra se, & in se ipso contineat amplitudinem suæ gloriæ, suæque potentia, & infinitæ essentia, absque dependentia ab ullo, aut indigentia, quæ neque ei competere potest; ut proinde, etiamsi omnes salvaremur, vel damnaremur, non posset augeri vel imminui ipsius gloria, Majestas & potentia. Atque hoc habito lumme, obstupefacta & consternata propter tantam perfectionem, incepti dicere illa verba Apostoli: *O altitudo divitiarum Sapientia & Scientia DEI;* quæ non potui illis diebus dimittere ex ore, neque ex corde. Et quodam die præ dolore, & com-

miseratione, quòd viderem tantas Ecclesiæ necessitates, atque multitudinem hostium nostræ sanctæ Fidei Catholicæ, dixi Divinæ Majestati: Mi Domine, Potens & Magne, ac Misericors, siquidem nos tantopere amas, & tantum fecisti nostri causa, ac pro nostra salute, habesque potentia infinitam, quâ potes, quidquid vis, nonne esset fortè conformius tuæ magnæ misericordiæ ac Bonitati, ut converteres ad tuam sanctam fidem Catholicam istos paganos & infideles, qui vivunt in tenebris & umbra mortis? est enim res vehementer dolenda, ac digna commiseratione, considerare, quòd videantur quodammodo plura esse opera tuæ Iustitiæ, quam Misericordiæ; cum tot damnentur, & pauci sint electi. Postquam hoc dixissem, respondit mihi Dominus: Modò non es bene loquuta, quia multò plures, sine comparatione, sunt miserationes meæ, & bona, quæ præstiti hominibus, quàm pœnæ, quibus castigo eorum peccata. Dic enim, an sit comparabilis magnitudo misericordiarum, & beneficiorum à me præstitorum hominibus? dum descendi de Cælo in terram, & factus sum homo, ac mortuus pro ijs, redemi que illos meo pretioso sanguine, & reddidi participes meorum meritorum, vel in ipsis pœnis, quibus eos addixi, propter gravia illorum peccata? Dic age, an beneficia comparanda sint pœnis? nonne existimas magnum intercedere discrimen inter bona, quæ ipsis cõtuli, & pœnas, quas ab illis

ab illis exegi? & nonne præterea scis, me non solum esse misericordem, & bonum, ac potentem, & iustum, verum etiam sapientem; ideoque sicut magnitudini misericordiae meae ac bonitati competeat conferre gratias, & bona hominibus; iustitiae autem, punire malos & rebelles, ac violatores meae legis, meorumque præceptorum; ita magnitudini meae sapientiae, convenire, ut non saluem omnes, quamvis possim, neque eos cogam, ac traham ad beatitudinem: siquidem ego creavi hominem, ut esset beatus, atque ut consequeretur hunc finem, dedi ipsi multa & maxima auxilia; creavi quoque illum liberum ac Dominum sui ipsius, ut possit eligere pro suo arbitrio bonum vel malum, quod maluerit: & cum talem condiderim hominem, non erat decens, ut ipsum cogere, traheremque ad Cælum violentè. Hoc audito, respondi DEO, optimè ipsius Majestatem loqui, & fui attonita, dum audirem sic discurrentem infinitam ejusdem sapientiam: quòd enim animae manifestet veritates, quas ipse novit ac in se habet, adfert illi plurimum boni, solatij & commodi, non solum quando illas auscultat, sed quotiescunque deinde earum meminit, unaque expendit modum, quo ipsas communicat.

§. II.

Ad comprobendam hanc veritatem illi declaravit, quomodo nos Divina misericordia commonesciat, ut effugiamus iram DEI, qui propterea pramonet suos Angelos, & movet suos Sanctos, ut ipsum mitigent suis orationibus. Agens, inquit, quodam die (in Martio 1616.) cum DEO, circumspexi, & vidi gloriosum Archangelum Sanctum Gabrielem, qui mihi dixit: Venio, ut te præparem & moneam, Dominum venturum ad te visitandam, & quaedam tibi manifestanda. Statim confugi, more consueti, ad postulandum lumen a DEO, qua in re me aliquamdiu detinui, donec S. Archangelus digitum ori apponeret, dando mihi signum ut conticescerem, eò quòd veniret Dominus. Quocirca si-

lui, & vidi venientes è Cælo multos Angelos, gemmatis ordinibus, quos sequebatur Majestas DEI, Trini & Unius, quem ita videbam Trinum in Personis, ut speciali quodam modo unà viderem Personam Christi Domini. Interea comparuit ab una parte exercitus diabolorum armatorum, cum suo raucò tympano & vexillis, ac lanceis; qui postquam pervenerunt ad conspectum Domini, se omnes humi prostraverunt, ac deposuerunt arma, deinde verò confurgens quidam altior & ferocior, dixit: Supreme Domine, DEUS Majestatis, Infinite, Imense & Omnipotens, ac Juste, venimus, ut petamus à te facultatem destruendi totius mundi. Quamvis enim sit tuus, quia illum condidisti, est tamen etiam quasi totus noster, propter peccatum; tota Asia, Africa, ac major pars Europæ, Angliæ & Galliæ; possidemus præterea magnam partem in Hispania, quin & in Ordinibus Religiosis, ac proinde convenienter tuæ Justitiæ, nobis id potes concedere. Dominus tacuit modicum, & diabolus pedibus terram feriebat, expectans responsum, tandemque illi Dominus dixit: Proditor, inimice generis humani, etiamsi mea Justitia sit irritata à peccatis hominum, mea tamen Misericordia implorat veniam, per merita JESU Christi, & sanctissimæ ipsius Matris, omniumque Sanctorum. Unde, ne minimum quid agas ultra, quàm hætenus tibi sit permissum. Tum venit sanctus Gabriel cum magna majestate eò, ubi erant diaboli, & abegit illos. Post hoc mihi dixit Dominus: Vidistine, quid sit actum? Jam itaque volo, ut te conferas ad quendam locum, in quo moratur sanctissima Virgo, cui annuntiabis aliquid meo nomine? Subitò incepti quàm velocissimè abire: sed Angelus meus Custos me detinuit ac reduxit ad priorem locum. Dominus autem sermonem suum est prosequutus: Dices illi ex me, quòd propter merita JESU Christi Filij ejus, & ipsiusmet merita ignoscam populo, pro quo apud me intercessit. Statim cæpi abire, & detinuit me secundò Angelus, ac Dominus adjecit hæc verba: Et meo nomine, illi, in hujus rei signum dabis

dabis tres istos nummos, quos mihi singulatim tradidit. Erant autem ex purissimo auro, paulò minores Imperiali. Unus significabat Divinam misericordiam, & reliqui duo, duas alias Divinas Virtutes. Ego accepi illos nummos, & constrinxi pugno. Cùm autem inciperem abire, cohibuit me tertio Angelus, & Dominus mihi dixit: Significabis præterea sanctissimæ Virgini, quòd meo nomine tibi possit concedere, quidquid ab illa petieris. Tum me duxerunt Angeli ad quendam locum (non dicentes mihi, qualisnam locus esset) & collocaverunt me intra aliquod templum in quodam sacello, in quo erat Imago Beatissimæ Virginis, quam ille populus magnâ devotione venerabatur, & adverti sanctissimam Virginem mirabili modo existentē in illa imagine. Accessit sanctus Gabriel, & quàm reverentissimè dixit sanctissimæ Virgini: Domina, hîc venit ista creatura, ut tibi aliquid nuntiet nomine Domini DEI nostri. Sanctissima Virgo ostendit sibi placere dictum sancti Archageli, & iussit me adduci. Ego illi retuli totum supra dictum nuntium. Beatissima Virgo maximas egit DEO gratias, pro beneficio veniæ, concessæ illi populo, qui ipsi tampiè erat addictus, & visitabat ejus imaginem; mihi verò dixit, ut considerarem, quid essem petitura, mihi ab illa præstandum. Ego hæsi, ac deinde dixi, me petere id, quod mihi ex Divina voluntate est ab ipsa petendum, & lumen, nè decipiar in his rebus inusitatis; atque ut salvetur quidam Nobilis, nec non, ut suo auxilio adsit meis Confessarijs, & alijs. Beatissima Virgo mihi dixit: Accede huc, nam & ego tibi volo præstare gratiam. Accessi, & vidi, quòd haberet in suis brachijs suum sacratissimū Filium in specie infantis; cujus sum osculata pedes, & sine mora illum sensi intra meam animam, arctissimè cum ipsa unitum. Post hoc, me reduxerunt Angeli ad locum, in quo antea fueram, & Dominus, qui necdum abiverat, mihi dixit, ut magno animo paterer; brevi namque defituros dolores, & ad futuram quietem æternam.

*)***(30

§. III.

Longè magis velucet Divina misericordia in mitiganda ira, in gratiam eorum, qui degunt in hoc exilio, suntque longè pauciores, quàm existentes in Cælo. Quodam die, ait, sub initium noctis, habui quædam indicia, quòd mihi Dominus esset præstiturus aliquam gratiam, & quidpiam dicturus. Manè, circa horam tertiam, consexi JESUM Christum Dominum Nostrum pendentem è cruce, & ad ipsius latera crucifixos duos latrones. Hoc non vidi clarè, sed quasi sub velo. Vehemèter fui afflicta, ac recurri ad DEUM, & rogando ipsum, ut me illuminaret, avertèbam oculos, ab isto mysterio: quod, licèt illud nollem videre, semper tamen se mihi offerebat spectandum, etiamsi quàm maximè conarer ab eo videndo abstinere. Dixi in animo meo, cum aliquo timore illusionis: DEUS me juvet, imaginatio est instabilis, & celer, ac diabolus versutus. Sanctus meus Angelus Custos, qui aderat præsens, dedit quoddam quasi signum, ut mysterium obtegeretur velo, eo quòd tunc non essem disposita pro illo spectando. Et factum est ità, quia apparuit nubes instar veli, propter quam illud non vidi. Quievi modicum, & respiravi; ac paulò post denuò consexi idem mysteriū clarissimè, absque ullo impedimento, ità ut non possem resistere. Vidi Christum Dominum, Bonum nostrum, affixū Crucis, eo modo, quo in illa pendeat die suæ Passionis, in medio duorum latronum. Spectavi quodam modo omnia, quæ tunc evenerunt, scissum velū templi medium, eclipsim Solis, magnas tenebras, quibus obscurata fuit terra, desolationem Beatissimæ Virginis apud pedem Crucis, vehementes dolores, quos tunc sustinuit Dominus; & quomodo lancea sacratissimum ipsius latus fuerit apertum. Magnopere sum commota, videns ità patientem Dominum, quod spectaculum gravem attrahit meæ animæ dolorem & afflictionem. Fui rapta in ecstasim, & quando mihi sum red-dita, nihil vidi illius mysterij. Venerunt ad me quatuor Angeli DEI, diversi à qua-

tuor

tuor meis Dominis, induiti vestibus partim albis, partim alijs, aliquantum tristes, & mæsto vultu, ita ut etiam in me derivarent suam tristitiam, dixeruntq; mihi: Soror, vidistine hoc mysterium, & visne scire, quid significet? Noveris igitur, Patrem æternum, graviter indignari hominibus, propter ipsorum enormia peccata, & ingentia scelera, atq; ideò, quòd se quàm minimè exhibeant gratos pro beneficijs acceptis ab ipsius sanctissima manu. Et Christus JESUS, Dominus noster, comparuit coram Divina ipsius Majestate quemadmodum illum vidisti, representando ipsi tam multa, quæ est passus pro hominibus, rogandòq; illum, ut ijs parceret, & miseretur, essetq; propitius. Atq; reverà, Soror, Pater æternus non est placatus, nec peperit populo suo. Fui idcirco majorem in modum contristata, dixiq; illis: Quid ergo faciemus Domini? Ipsi dixerunt: Si esset aliquis pusillus humilis, ex hinc degentibus, qui deprecaretur Patrem æternum, pro ipsius populo, fortè non desideraretur misericordia. Tum ego dixi: Angeli Sancti, non est illi reconciliatus DEUS, licèt ab eo hoc petiverit ipsemet ejus Filius crucifixus, & parceret ipsi, si idem ab illo petat aliquis pusillus? vere, Soror, (dicebant Angeli) si reperiretur quispiam pusillus, ex diligentibus DEUM, qui id ab illo peteret, plurimum prodesset. Cùm ego instarem, quomodo hoc posset fieri, dixerunt mihi: Magni facit DEUS preces pusillorum humilium, quia illos amat, & ipsi amant DEUM, atq; cum charitate & simplicitate implorant ejus misericordiam. Istæ verò preces talium, unitæ precibus ac meritis Christi Domini, ejusdemq; Mortis, ac Passionis multum valent: & quandoq; obtinent ea, quæ alioquin non obtinerentur. Visne tu deprecari DEUM pro populo? Fui summè pudefacta, & dixi: Ego sum miserabilis, & peccatrix, indigna, quam DEUS exaudiat; & alia hujusmodi. Illi verò mihi dixerunt: Ora pro populo DEI, quia tuæ preces, unitæ precibus Christi Domini, non poterunt non prodesse. Postquam id dixissent quatuor Sancti An-

geli, qui fuerant conjuncti, diviserunt se, iveruntq; duo ad unam, & duo ad alteram mei lecti partem, more supplicantium, atq; subito plurimi Angeli DEI, à meo lecto, ad Cælum instituerunt longam supplicationem, & efformaverunt viam, ac meus S. Angelus Custos, unaq; mei Domini, me duxerunt per medium illius quodammodo processionis, & viæ ad Cælum. Sanctus meus Angelus mansit quasi apud portam foris, me verò collocaverunt intrò, in cælesti Jerosolyma, ubi statim apud januam conspexi Majestatem Domini DEI, & ipsi adstantem Christum Dominum, Bonum Nostrum. DEUS apparebat valde severus, & veluti iratus. Ego accessi, ac dixi: Omnipotens & Æterne DEUS, ac Domine Noster, infinite, & immense, suppliciter obsecro tuam Divinam Majestatem, per merita, mortem, & passionem JESU Christi, Boni Nostri, Filij tui, pèrq; merita ipsius sanctissimæ Matris, ut propitius sis & miserearis populo tuo Christiano, eumq; salves. Mei Domini me monuerunt, ut postularem bona temporalia, ac tum addidi: Dèsq; nobis panem quotidianum. DEUS mihi nihil respondit; visusq; est potiùs vehementer indignari, magis tamen me incitabat ad orandum. Ingressa sum ulterius, & repetivi eandem orationem ac petitionem. Et Dominus mihi necdum respondit, quin potiùs dixit, ac mandavit meis Dominis: Amovete illam hinc, & abducite. Angeli me apprehenderunt, ut me abducerent. Ego verò dixi: Relinquire me, Domini, nec enim me oportet abire, neq; à vobis sum abducenda. Quin imò appropinquavi magis ad DEUM, magisq; intrò sum progressa. Sanctus meus Angelus Custos, postquam jam introivissem, rogavit Divinam Majestatem, ut me dignaretur audire, dixitq;: Omnipotens & Æterne DEUS, ac Domine noster, spectato eo, quod Tua Majestas jussit fieri ab ista creatura, non potest non audiri; dignetur illi Tua Majestas præstare gratiam, & ansultare ipsius petitionem. Tum Dominus vultu affabiliore mihi dixit: Dic age, quid velis? ego denuò petivi idem,

R r r quod

quod initio. Fui nonnihil abrepta, & inflexi me ad unam partem, ac si me inclinarem, Dominus autem præcepit, ut me erigerent, dixitq; mihi ejus Majestas, bene esse, & se fore propitium suo populo, ipsiq; condonaturum peccata; & Tu eris instar columbæ, quæ tempore Noë tulit bona nova de serenitate aëris, deditq; mihi Dominus grandem ramum palmæ, quem habuerat in suis manibus, cui erant velut intertexti alij rami, quasi olivæ. Interrogavi Dominum, cui à me esset dandus ille ramus. Divina Majestas me jussit dare ipsum meo S. Angelo Custodi: quod mihi vehementer placuit, & quodammodo, nec in habitu salutato Domino, veni domum, quò me deduxerunt mei Domini, per medium illius supplicationis, ac viæ Angelicæ, cum meo ramo palmæ quem habebam in manibus. Sancti Angeli, qui illam viam efformabant, quando transibam, decerpebant ex ramo, & retinebant ex eo quosdam ramusculos. Vidi ramum florentem, & producentem folliculos, quales sunt rosarum, ex quibus prodibant pretiosi lapides, quasi rubini. Perveni ad locum, in quo erat meus Angelus, deditq; ei ramum, quia à Domino eram jussa illum ipsi tradere, & rapta fui in ecstasim. Quando ad me redij, jam fuerat finitum mysterium.

Alio die, isti mei Domini, me nihil tale cogitantem, elevaverunt, ne verbo mihi dicto, & voluerunt me abducere. Interrogavi illos: Domini, quid agitis? quò me ducitis? Statim videbis, responderunt mihi. Duxeruntq; me, præcedentibus plurimis sanctis Angelis, & gestantibus ramos in manibus, quos à me acceperunt. Sanctus autem meus Angelus Custos ferebat illum ramum grandem. Duxerunt me ad quinq; loca, quæ mihi videbantur esse quinq; civitates horum Regnorum. Una habebat vicinum ingentem fluvium, & quia dixerunt, ibi habitare quandam personam mihi notam, intellexi esse Hispalem; quales aliæ fuerint, nesciebam. Ad singulas concinebant Sancti Angeli DEI, adhibitis instrumentis musicis; decantabant autem laudes DEI, & gratias illi age-

bant, pro exhibito mihi favore, quòd propitius fuerit suo populo.

§. IV.

Aliam habuit valde gratiosam visionem, in qua illi fuit donata alia palma, in signum alterius victoria, obtenta de inimicis Sanctissimi Sacramenti. Vidi (in Septembri anni 1614.) inquit, oculis animæ in quodam magno campo plurimos homines, alios in frustra concisos, alios enervatos, hos humi stratos, illos stantes, admodum afflictos; & in una campi parte, conspexi quoddam eremitorium, ubi erat, Papa & Cardinales, quasi solitarij; extra illud autem stabant quidam viri, tanquam ipsorum custodes ac defensores. Intellexi eo spectaculo significari immanem aliquam persecutionem & afflictionem, impendentem Ecclesiæ. Summopere fuit contristata mea anima, & rogavi DEUM, ut me tolleret ex mundo, priusquam id viderem. Duravit ea visio quatuor horis, quibus elapsis vidi descendentes de Cælo multos Angelos, canentes Divinâ musicâ hymnum: *Pange lingua gloriosi*, & cum pervenissent ad me, unus, qui præcedebat, mihi dixit: Soror, accipe hanc palmam, quam tibi mittit Dominus DEUS Majestatis, Dominus Angelorum, Archangelorum, & Principatum; & cum pergeret, nominare cæteros choros Angelorum, ego illius sermonem interrupi, ac nolui acceptare palmam, neq; ipsum amplius audire, sed confugi ad DEUM, sicut soleo. Dominus tamen voluit, à me audiri Angelum, & cum nollem acceptare palmam, suscepit ipsam meus Angelus Custos, qui aderat; atq; alter ille Angelus prosequutus est suum sermonem, significando mihi, eam palmam esse indicium cujusdam per me obtentæ victoriæ. Hoc audito converti me ad DEUM, & quia mihi eram conscia quorundam defectuum, dixi illi quàm ardentissimè: & quomodo Domine, diabolo, qualis sum ego, exhibet Tua Majestas has gratias? Dominus autem mihi dixit: Non est diabolus, sed filius cordis mei, qui me amat,


amat, & facit voluntatem mei Patris, in
cujus gratiam ego faciam hæc, & multo
plura, si opus fuerit. Tum mihi fusè ex-
plicuit, quod Angelus dixerat compendi-
osè, & quid significaverit illud, quod vidi-
eram in eo campo ac eremitorio, utpote
favam persecutionem imminentem Ec-
clesiæ, quam tamen propter me, ne affli-
gerer, Divina Majestas impediverat; id
quod erat, quasi referre victoriam de ho-
stibus, significatam per palmam. Ange-
li verò cecinerunt *Pange lingua &c.* Quia
hostes, intentantes istam persecutionem,
erant hæretici, qui peculiari odio perse-
quuntur Sanctissimum Sacramentum; &
eâq; de causa dicebat celebrari in ipsius ho-
norem solenne festum. Et volo, adjecit
Dominus, ut eas spectatum aliquid ex illa
solennitate. Subito mei Angeli me du-
xerunt in spiritu ad Cælum, quod vidi ple-
num igne claro, & lucido, sed intra divi-
nam quondam nebulam, quæ impedi-
ebat, quò minus bene videretur, quid ibi
esset. In medio erat ingens Hierothe-
ca Eucharistica, repræsentans Sanctissi-
mum Sacramentum. Ego accessi, &
amplexata sum pedem illius Hierothecæ.
Christus Dominus autem, mihi dixit:
Quid facis? Hoc audito, adverti me am-
plexari pedes ipsiusmet Domini, & statim
recessi, vehementer pudefacta, atq; Divi-
na Majestas mihi est bene precata.

§. V.

Finiamus alia mirabili visione, qua om-
nia hæc dicta complectitur, in cu-
jus conclusione docetur modus orandi, qui ex
talibus gratijs est colligendus instar fructus.
Die, inquit, Sanctissimæ Trinitatis (in Ma-
jo anni 1617.) fui rapta in aulam cæle-
stem, ubi tantum vidi meos quatuor An-
gelos, & quasi eminus, Beatos confidentes
in suis thronis. Dixi meis Angelis: Ubi
est Magnus Rex, DEUS Majestatis, quòd
ipsum non videam? Responderunt mihi:
Est in Tribunali suorum Divinorum judi-
ciorum ac arcanorum. Et derepentè

vidi, quasi reducto quopiam velo, Sanctis-
simam Trinitatem, more solito, atq; JE-
SUM Christum Dominum nostrum, in-
tercedentem apud illum pro peccatori-
bus, allegantem ipsi omnia à se pro illis
facta. Et Spiritus Sanctus gratam sibi
esse ejus orationem ostendebat, sed Pater
æternus dicebat, tribuendum esse locum
Divinæ Justitiæ. Interea vidi venientem
Sacratissimam Virginem, Dominam no-
stram, splendidè vestitam, cum comitatu
multarum Virginum, & millenorum Angelo-
rum, quæ, ubi se prostravisset coram Maje-
state æterni Patris, incepit dulci quodam
& suavi modo orare pro peccatoribus, pe-
tendo pro ipsis veniam, per JESUM Chri-
stum Filium suum, perq; ejusdem intra-
sua viscera gestationem, nec non per alia,
quæ Christus Dominus allegaverat. His
videbatur aliquantùm placatus æternus
Pater, & respondit illi, se ipsis propitium
futurum. Abeunte Sanctissimâ Virgi-
ne, me aspexit Dominus, dixitq; mihi: Et
tu vermicule, quid hic agis? quid vis? Ego
magno animo dixi: Domine mi, quam-
vis sim vermiculus, adrepam ad radicem
arboris vitæ, rodam illam, (utpote oran-
do) atq; sicut Jacob, tecum luctabor, do-
nec te vincam, & ignoscas peccatoribus.
Respondit Dominus: Bene est, bene dicis.
Faciám id. Et præterea tibi dico, quòd,
si aliquis existens in malo statu ad te con-
fugerit, ut pro ipso ores, sim illi propter
te condonaturus peccata, eumq; ad me
conversurus.

*Similitudine, quam DEVS inspiravit
huic sua famula, docemur, quòd nos debe-
mus collocare ante arborem vitæ, quæ est
Christus Dominus, & illam instar vermicu-
rum rodere cum profunda humilitate, sed
magno fervore, quantumvis non absq; mo-
lestia ac labore sed quasi luctando, gemiti-
bus, precibus, & orationibus, donec aliquid
obtimeamus, ex ipsius virtutibus, ac meritis,
ut illis ditemur, eiq; perfectius serviamus.*



CAPUT IX.

De rebus notatu dignis, quæ illi acciderunt cum DEO, anno grassantis pestis, quoad mala, quibus punire volebat suum populum Christianum, & istam Civitatem Vallisoletanam, deq; magno Zelo, quem tunc ostendit.



*Ormidabilia fuerunt, quæ ipsi e-
venerunt cum DEO, A. 1599.
quando pestis affligebat totam
Hispaniam, gressando ab una
Civitate ad aliam: id quod ipsa descripsit
hunc in modum.*

*rebelles, ut probentur & perficiantur bonæ
obedientes.*

Dum aliâ vice vehementer affligerer, non solum propter damna, quæ pestis erat multis allatura, tum quoad bona fortunæ, tum quoad vitam, sed longè magis propter perditionem animarum, quæ ob tot mortes subitaneas poterat timeri: quia salus unius animæ redemptæ sanguine Christi JESU æstimabilior est, quam omnium facultates & vita. Atq; cum hac afflictione & summo dolore, concepto ob istam animarum jacturam, compati coram Domino, dixiq; illi: Mi Domine, Magne & Potens, quid vult agere Tua Majestas, propter nostra grandia peccata? nunquid nos fortè voles destruere, id quod meremur, & potes tam merito ac justè facere? dum hæc & alia cum magno meæ animæ dolore proferrem, dixit mihi Divina Majestas: Omnes destruere nolo, sed volo quosdam punire, & multos affligere, ut illi luant penas promeritas, hi admoneantur, ne eas incurant: pena vero afficiet illos, qui ipsam multum merentur. Hoc audito vehementer indolu, & exclamavi: Ah, mi Domine, miseram me, quid facient infelices? Væ miseris, quid facient? non, propter tuam bonitatem, mi Domine, non fiat id amplius! non pereant animæ redemptæ tuo pretioso sanguine. Hoc enim erat, quod comminabatur illa pœna DEI, & mihi cor præ dolore disrumpebat, unde ei dicebam: Non, non Domine. Et Divina Majestas respondebat: Ità, ità. Ego reprobebam: Non, non Domine, propter bonitatem tuam. Divina Majestas dicebat: Ità, ità. Ego rursus reprobebam: Consideret verò tua Majestas, per infinitam

§. I.

Prodente se jam peste, animadverti, DEUM vehementer indignari peccatoribus, & ingemiscens, consideratis tot necessitatibus spiritualibus & corporalibus, quæ tolerantur in hac lacrymarum valle, rogabam Divinam Majestatem, ut misereretur suarum pauperularum creaturarum. Respondit mihi Dominus: Noli ipsas appellare meas creaturas, quia earum opera, non merentur talem appellationem. Ego tum pudefacta conticui; sed quia Divina Majestas mihi inspirabat, meq; impellebat, ut id à se peterem, etiam si taliter responderet, iterum ipsi paulò post dixi: Domine, propter infinitam tuam bonitatem miserere tuo populo Christiano. Et Divina Majestas denuò mihi dixit: Noli eum vocare meum populum Christianum, quia id non meretur: siquidem propter sua opera magis videtur constare ex paganis, quàm ex Christianis. Tunc afflicta mea anima, his responsis, rursus illi dixit: Ergone, mi Domine, tui servi debent pati & puniri cum peccatoribus? Respondit Divina Majestas: Nonne verò scis, quòd ego possum formare vestem, quæ omnibus conveniat?

Hoc Dominus dixit isti sue famule, quia in peste infirmitatibus, diluvijs, & afflictionibus communibus ità puniuntur mali ac

suam misericordiam, quomodo id possit esse: ineundum enim est aliquod pactum, nec ita fieri oportet, mi Domine. Et urgebam perseveranter ego miserabilis meum Dominum magnum, ac omnipotentem, qui me tolerabat. Offerebam illi meam vitam libentissimè pro salute cuiuscunq; animæ. Jam tum conclusi cum Domino, quòd non essent tot mala eventura, sed solùm aliqua: quia mihi dixit, quòd ij, qui deberent alieno malo sapere, id nolint facere, neq; faciant, usq; dum sit Pœna in eorum foribus. Vidi DEUM æquissimè agere, ac tantopere dolui, ut non possem esse quieta, neq; læta, dum recordarer, perditum iri illos, quibus obventura esset tam mala & infelix fors; sempèq; implorabam DEI misericordiam, ut conquiesceret ipsius Iustitia, propter ejusdem infinitam Clementiam. Inter hæc mihi dixit DEUS aliquando: Noli tristari; esto hilari animo, ne te ita affligas, non fiet tam multum. Mirè sum recreata, & egi ipsi magnas gratias, pro hac misericordia.

Eo tempore mea anima erat quasi semper clarissimo quodam repleta lumine, quo cognoscebam magnitudinem, omnipotentiam & Majestatem nostri Magni DEI, ut quodammodo non possem quidquam aliud cogitare. Et frequenter me Dominus consolabatur, appellabatq; filiam, ac dicebat mihi: Quid vis? quando autem ego ipsum invocabam & dicebam: Ubi es, mi Domine? Ille mihi dicebat: Hic sum tecum, hic me habes: semper tamen eram sollicita de his præsentibus necessitatibus, & implorabam ejus misericordiam, atq; etiam cogitabam, an non DEUS propter nostra gravia peccata esset aliquando derelicturus hæc Regna, sicut dereliquit alia, quæ id promeruerunt suis sceleribus. Et dum ea de re agerem cum Divina Majestate, dixit mihi: Nè timeas, quia tu id non videbis. Tum ego dixi: Cæteri autem, mi Domine, qui nunc vivunt, videbuntne tantum malum & afflictionem? Subindicavit mihi, quòd etiam non. Rursum dixi: Evenièntne tamen aliquando, Domine, tantum malum & in-

fortunium? nam dolor, quem inde percipiebam, me adigebat ad hoc dicendum DEO, qui mihi respondit: Ne id velis scire: quasi mihi hoc nollet manifestare, ne me affligeret. Ego suspicata, fore, ut eveniat, mota commiseratione, dicebam illi cum multis lacrymis: Non, non, mi Domine, per tuam misericordiam, neq; jam, neq; unquam. Et petebam id perseveranter à Divina Majestate, quæ videtur me voluisse consolari, dicendo mihi: Quid tandem tuâ refert, quòd hinc trans-eam aliò, vel hîc maneam, cum tu, id non sis visura. Ego verò dicebam eâ animositate, quam mihi DEUS dabat, alioquin enim non essem tam audax: Refert, mi Domine, multum meâ refert: Domine, per tuam clementiam, nè id facias nunc, sed nec unquam, propter tuam infinitam bonitatem. Dum hæc atq; alia dicerem, advertēbam, quòd mihi Divina Majestas compateretur, videns me ita afflictam, ideòq; mihi dicebat: Omnia beneficient, satisfaciam tibi, & consolabor te. Nunquid autem nihil voles aliud, quàm quod ego voluero? Ego illi dixi: Procul dubio, Domine, ego, nihil aliud volo, quàm quod tu volueris, & hinc solatium capiam. Dicebat mihi præterea Dominus: Ecce adhuc multum præteribit temporis, & multa effluent secula, multa etiam contingent, & varia evenient. Ego attendebam, quid diceret, neq; poteram non advertere ac intelligere à Divina Majestate mihi ista dici ac manifestari.

§. II.

Majorem incutit horrorem, quod illi accidit cum DEO, eodem anno quando jam lues pestifera infecerat Vallisolerum, ubi illa degebat, id quod his refert verbis. Postquam fuisset decretum in hac Civitate Vallisoletana, ut propter commune Reipublicæ bonum ac vicinorum, egredirentur ex Urbe, repeterentq; suas patrias, quidam miserabiles pauperes, qui ad illam venerant, in eaq; vivebant, intellexi à Domino id ipsi displicuisse, & fuisse ingratum. Etsi enim verum sit, eos, penes quos

erat regimen Civitatis ad id faciendum per motos fuisse, fortè absq; culpa, ut magis prospicerent bono suæ Reipublicæ; nihilominus frequenter DEUS permittit propter nostra peccata, & proprium amorem, qui semper exquirat privatum commodum, ut Rerum publicarum Rectores non ità assequantur, ut par est, id quod est conformius beneplacito ac voluntati DEI, quia sunt profundissima & magna ipsius judicia, valdeq; latent animam, quæ illum non amat perfectè, sed seipsam, quam amor proprius decipit, dum facit, ut sibi videatur rectè procedere in eo, in quo errat. Hoc intellecto à Divina Majestate indolui, & fui afflicta, metuens, nè ideò Divina Majestas isti Civitati infligeret aliquam pœnam, ut populus jacturam pateretur bonorum temporalium, unaq; sanitatis. Simul autem vehementer compatiebatur mea anima miseris pauperibus, qui abeuntes essent perituri, propter extremam penuriam & afflictionem.

Alio die manè, dum agerem cum DEO, manifestavit meæ animæ, quantopere irasceretur & indignaretur isti populo, quàmque ipsi displicerit, quod ab eo præceptum fuerat pauperibus; & unà mihi dixit, se constituisse, gravi quodam malo hunc populum mulctare, ut sic intelligerent & agnoscerent suam indignationem. Quamvis autem huic pœnæ occasionem præbuerit expulsio pauperum, intellexi tamen jam antiquam esse hanc iram Divinam. Fui afflictissima & plena dolore, propter id, quod audiveram à DEO, & cum lacrymis illum incepti rogare quàm instantissimè: Hoc non, aiebam Domine, hoc non, propter tuam bonitatem & misericordiam, hoc non Domine; quod sæpè iterabam dicendo, ut cogitaret, an ipsi placeret, vellèq; ut ego miserabilis aliquid loquerer de eo negotio, & ne ultra procederet cœpta pauperum exactio, me enim id velle efficere, quamvis mihi propterea multùm esset laborandum. Sed Divina Majestas mihi respondit, se nolle, ut ea de re loquerer; non profecturam enim me quidquam, neq; mihi adhiben-

dam fidem, & me ideò contristandam ac affligendam, sicut aliàs mihi contigit; nec se velle, ut idcirco affligar. Quapropter tacui. Dolui tamen vehementer ob iram & indignationem DEI, quam in eo advertebam, & agnoscebam, neq; cessabam illum intueri, ac attollere oculos animæ ad Divinam Majestatem: Videbãq; mihi videre sacratissimum ipsius pectus apertum, & omnia in eo contenta, ubi etiam cognoscebam indignationem ac iram Divinæ Majestatis. Et cum aliquando ipsum hac ratione contemplerer, incepti subito ac velut in momento emittere imbrem tam vehementem, & jacere fulmina tam horribilia, ut mihi incurreret terrorem, moveretq; me ad commiserationem eorum, quibus comminabatur illam pœnam, quamvis ego ignorarem, quinam essent, quia mihi DEUS nunquam manifestat peccata gravia, & occulta ullius particularis personæ; quando verò Divina Majestas in ejus modi rebus vult aliquem adjutum, atq; idcirco uti operâ istius miserabilis suæ creaturæ, scit ipse id optimè facere, habetq; multos modos, quibus hoc efficiat, ac propterea hac de re nihil amplius dico. Et intuita Majestatem DEI, vidi ipsum usq; adeò offensum, ut revera existimarem, quòd nisi interveniret Sanctissimæ Virginis Dominæ Nostræ, & aliorum Cælitum intercessio, nescirem quid Divina Majestas esset factura; nam mihi pessimum erat indicium, quòd nolleret, ut illo modo de hoc loquerer, diceretq; mihi, ut id relinquerem, siquidem essem operam perditura, quòdque me non vellet contristari & affligi, quia nullum successum esset habiturum, quidquid ipsius nomine dicerem.

Videbam quoq; semper omnibus illis diebus, qui erant multi, Majestatem Christi JESU Domini Nostri, intra Sanctissimum Sacramentum, in supplicatione Octavæ hujus Festi, videbam, *inquam*, illum non ità contentum, qualem se mihi alijs annis exhibuit, dum incederet inter suas creaturas, sed longè alium; id quod ego magnopere sentiebam. Aliquando mihi propter quiddam dixit, se interdum in pœnam

poenam peccatorum permittere, ut non inueniatur, qui admoneat populum de eo, quod ipsi magis fatisceret ac placeret. Audivi ego miserabilis, quod mihi erat dictum à Domino, unâq; dum me alloqueretur, cognovi in ejus Majestate tam stupenda ejusdem judicis & arcana, hanc rem concernentia, ut nequeant verbis exprimi, vel explicari. Remansi tunc vehementer afflicta, eo quòd nescirem quis rerum istarum exitus futurus, quidue facturus esset DEUS.

§. III.

DUm perseverarem in obsecrando DEO, ut iram suam averteret ab hoc populo adverti, ut mihi videbatur, aliquantò majorem suavitatem in Divina Majestate, quæ mihi quâdam vice dixit: Tace, nè te affigas, quia, quem ego voluero servatum, conservabitur; quasi diceret: Non omnia pessum ibunt. Post paucos dies incepit infirmari populus, & moriebantur multi homines, ità, ut Civitas esset turbata, vehementerq; metueret, ac meritò, nè in illa exoriretur aliqua contagio, quam indicabant ingentes calores & siccitates. Ego quoq; miserabilis præter modum dolens, ob hanc miseriam & afflictionem, videndo nos ità à DEO castigari, propter nostra peccata, convertebam me frequenter ad Divinam Majestatem, & implorabam ipsius misericordiam, pro hoc populo. Quod cum facerem, aliquando manè, vidi Christum Dominum, qui mihi dixit amantissimè, quasi me vellet consolari & exhilarare, significando mihi taliter, non esse suam voluntatem ut omnes moriantur: Attolle oculos, & aspice. Tum sublatis in altum oculis animæ aspexi, ac vidi in aère, terram inter & Cælum, quendam S. Angelum speciosissimum, qui elevavit manum suam dextram, & magnâ Majestate bene precatus est ingenti parti terræ, tam largè & amplè, ut suâ benedictione comprehenderit, complexusq; sit tantam latitudinem ac regionem terræ, ut obstupuerim talem potentiam, & mysterium tam admirabile.

Data benedictione subito disparuit. Ego vehementer mirabar, quod videram, nec poteram oblivisci illius S. Angeli, & benedictionis adeò plenæ mysterijs, dicendo intra me: Quis Sanctus Angelus fuerit ille tam speciosus ac potens, quem ego non novi, nec unquam vidi? Respondit meæ cogitationi Dominus: Est S. Angelus pacis ac benedictionis, & consolationis. Obstupui, & fui exhilarata, postquam ab ipso audivissem, cogitaviq; subinde: Si omnia, quibus obtigit benedictio illius S. Angeli, sunt benedicta, necessariò plurimi homines fuerunt, suntq; benedicti ac liberi ab omni malo, & miserijs, ac infirmitatibus? quo aliquantum recreabar. Hæc mihi cogitanti, dixit Dominus: Etsi verum sit, quòd benedictio illius S. Angeli, quem vidisti, comprehenderit magnam terræ partem, eidemq; obtigerit, non tamen obvenit omnibus hominibus illius loci ac regionis quam vidisti, sed alicui tantum ejus parti; cæterum replevit & comprehendit campos ac prata, & fructus terræ, quibus sustentantur omnes homines, atq; etiam mali illius incolæ. His auditis à Domino, non poteram satis mirari, ipsumq; benedicere ac laudare, propter ejus bonitatem ac misericordiam, quamvis alioquin non habuerim tantum solatium, videns, illam benedictionem non obtigisse ijs omnibus, quibus ego ipsam favebam & exoptabam.

Hoc est conforme dictis mihi antea à Divina Majestate, quòd propter nostra peccata essemus ab illa castigandi peculiaribus pœnis, cum nos non emendemus in illis, neq; homines velint credere, irasci ipsis, & indignari DEUM, donec pœna ejus perveniat ad eorum fores, quod modò video, impletum ad literam.

§. IV.

HOc tempore multi homines exstinguantur peste in Civitate, ità ut circiter septingenti morerentur quavis septimanâ, modò plures, modò pauciores, præter plurimos, qui exspirabant quotidie in hospitalibus. Erat miserum videre, id quod

quod fiebat, & longè pejora in posterum timebantur, ac propterea prorsus meritò indies instituebantur multæ preces & processiones ac supplicationes ad DEUM, Sanctissimamq; ipsius Matrem. Decurrente ita ad finem Augusto, Judices jusserunt convenire Medicos, ut secundùm principia medica decernerent, an in Septembri & Octobri, quibus mensibus magis solet periclitari sanitas, malum esset augendum & contagio; ut prospiceretur, quid convenientius factu foret: qui dixerunt, malum, quantum ipsi nôssent, juxta suas regulas, futurum multò gravius illis mensibus, quàm fuerit tribus jam elapsis: quod cum ego audivissem, mota commiseratione, recurri ad DEUM, ut implorarem ipsius misericordiam, cujus infinita bonitas me est solata, manifestando mihi suo speciali lumine, non futurum gravius malum, ijs diebus, imò, per ejus misericordiam, hoc tempore desitutam illius iram, & fore, ut populus incipiat meliùs habere. Unde ego recreata à Domino istâ ipsius veritate, quando afflicti dicebant, se timere, nè omnes pereant illis mensibus, dicebam: Non timeant, DEO propitio. Et factum est ità, sicut Divina Majestas dixerat: quia paulò ante finem Septembris incepit meliùs habere populus, & sensim sine sensu, DEO juvante, cessabat strages ac malum, quod patiebatur, donec penitus sanaretur, liberareturq; ab illa lue pestilenti, ut propterea totus populus & meritissimo jure (modò non intermisissent glorificare DEUM) summè fuerit exhilaratus: ideòq; statim inceperunt, quasi immemores, quid illis convenientius agendum esset, instituere multa spectacula taurorum, & comœdias ijs diebus, qui fuissent impendendi, quod etiam DEUS voluisset, offerendis Divinæ ipsius Majestati Sacrificijs Eucharisticis, sicut antea fuerant institutæ preces & supplicationes pro salute populi. Quod animadvertens Divina Majestas, revelavit mihi ac dixit, sibi ista displicuisse, fuisseq; se ijs offensam, siquidem videret exiguam universim & palàm demonstrari gratitu-

dinem, pro accepta gratia, cum scandalo bonorum: dixitq; præterea Divina Majestas, & indicavit meæ animæ, condolens, pro sua bonitate, illi fragilitati, ac inadvertentiæ Gubernatorum populi, quæ irritabat ejus iram, se velle, ut suo nomine dicam meis Confessarijs, quò ea de re commonefaciant Judices ac Prælatos Civitatis. Ego statim feci, quod mihi Divina Majestas imperaverat, ac Patres Societatis sunt pariter exequuti officium sibi à DEO injunctum & commendatum. Admonuerunt Judices & Prælatos de querela, DEI, deq; eo, quod Divina Majestas ceperet ac vellet tum temporis fieri: sed ipsi omnes, & singuli seorsim eam culpam à se rejiciebant, allatis excusationibus, quæ illis videbantur sufficientes (credo eos non fuisse assequutos, neq; intellexisse amplius) verùm DEUS, qui eâ re fuerat offensus, ostendens mihi, non esse sibi satisfactum ipsorum excusationibus, dixit mihi: Ego illos puniam, propter istud exorbitans delictum, & in pœnam hujus defectûs, ipsis auferam personas convenientes ac necessarias eorum Reipublicæ. Sensi vehementer, quod mihi Dominus dixerat, sed videns id à Divina Majestate fieri meritò, verebar, neq; sciebam, quid dicerem. Post paucos menses obiit unus ex ijs, qui Urbem gubernabant, & intra duos annos alij duo. Primus est defunctus quodam die, quo celebrabantur in Civitate taurilia, id quod peragrè tulit, questus de eo illâ horâ suis famulis. Secundus obiit oppressus gravi melancholiâ, eò quod illi quædam secus successerint, quàm desideraverit. Tertius vivere desiit, postquam ad obeundum quoddam officium fuisset destinatus, ut ipse aiebat, quò tamen non est potitus. Adeòq; fateor, me, quando à DEO jubeor aliquid dicere, quod fieri oporteat ex ipsius sancta voluntate, plurimum timere pœnam, si id non mandetur executioni, juxta Divinæ Majestatis imperium, quia semper video consequi sinistros eventus, si prætermittatur.

☉)**(☿)

CAPVT X.

De ardenti zelo, quò exoptabat salutem omnium
hominum, & admirandis rebus, quæ illi ea in re evenerunt
cum DEO.



*H*abitâ notitiâ, & cogniti-
one tot miseriarum mun-
di, quam DEVS commu-
nicabat sue famule, indi-
es magis exardescibat in
ejus corde fervens zelus,
quo exoptabat salutem proximorum, instar
insatiabilis ignis, qui nunquam dicit, suffi-
cit; quem ipsemet DEVS confortabat novis
revelationibus, de his necessitatibus, quas de-
inceps referemus.

§. I.

*I*n primis declaramus ipsius verbis vehe-
mentiam hujus zeli, ac ingentem dolo-
rem & cruciatum, quo propterea divexaba-
tur, quò videret tot mundi miserias; cum
admirabili alloquio, pleno solatij, quo illam
DEVS replevit (in Decembri, anni 1619.)
In ista afflictione, inquit, plerumq; Domi-
nus meam animam ingenti & insolito dolo-
ris sensu commotam ducit ad contem-
plandum magnum nostrum DEUM ac
Dominum, graviter, atq; tot & varijs mo-
dis offensum, nec non agnoscendam per-
versitatem innumerarum animarum, ea-
rundemq; damnationem, ad quam idcir-
co deveniunt. Et afflictiones, penæ, ac
infirmities proximorum itâ meam ani-
mam excruciant, meumq; cor quasi vul-
nerant, ut mihi omnes videantur esse,
quodammodo membra corporis mei,
mihiq; uniti, & incumbentes meis hume-
ris. Dum sic esset constituta mea ani-
ma, quâdam vice me veluti dormituri-
entem excitavit Dominus, dicendo: Audis-
ne, Anima? expurgare. Hâc Domini
voce citissime fui excitata, & dixi cum af-
fectu magni amoris, ac reverentia: Quid
vis, mi DEUS ac Domine? jube me fa-
cere sanctissimam Voluntatem tuam.

Tum Dominus dixit: Anima mea, video
te afflictam, contristatam ac mœrentem,
propter vehementem dolorem, quem per-
cipis ex eo, quò videas vilipendi & of-
fendi gloriam meam ac honorem, quan-
tum est in hominibus, atq; propter tam
multas animas, quæ versantur in statu æ-
ternæ damnationis. Plurimum mihi id
placet, & compatio tibi. Verumta-
men gaude in me, & bono esto animo,
ob id, quò tibi dicam: Scias velim, uni-
versam humanam naturam esse unum
corpus, cujus anima & vita sunt mei justii,
& mei Sancti, quos mihi elegi jam inde à
mea æternitate. In ista anima & hac
vita istius corporis defixos habeo oculos
& obtutum: atq; hi sunt, qui manent in
meo corde, quòsq; ego in illo gero, & qui-
bus oblector, glorior ac recreor. Ablatâ
verò istâ animâ ac vitâ ejusdem corpo-
ris, quæ est formosa & sponsa mea, ac sub-
sistit, habetq; gratiam in oculis meis, om-
nia reliqua membra putrida & vitiata hu-
jus corporis naturæ humanæ, non curo,
nec mihi displicet, quòd, cum sint talia,
propter suam malitiam & culpam abscin-
dantur, & projiciantur in ignem, quamvis
non sine dolore & afflictione animæ. Itâ
facit bonus & sapiens Medicus, qui atten-
dens ad id, quòd præcipuè prodest infirmo,
estq; maximum ac optimum, nimirum
ad vitam hominis, & ipsius substantiam;
cæterum non curat, quòd abscindantur,
vel adurantur quæcunq; membra putrida
& vitiata illius corporis. Quocirca, Ani-
ma mea, noli consternari, vel animo con-
cidere, sed quiescendo in meo corde &
mente mea Divina, habe solatium in me,
& in operibus meis ac judicijs altissimis &
secretissimis meæ Justitiæ, in quibus omni-
bus relucet ac resplendet mea Bonitas &
Misericordia, quemadmodum dixit Moy-
ses

ses, quando me vidit. Mea anima audivit hos Divinos fui DEI ac Domini Sermones, quibus est summopere recreata & animata, atq; exhilarata in suo DEO. Et sic fuit finita illa Divina communicatio.

§. II.

Effectus hujus zeli videbimus in ardentissimis desideriis, quæ se habere ostendit, ut salvarentur non pauci, neq; tantum multi, sed omnes homines, in quadam visione, hunc in modum. Quodam die (in Martio anni 1622.) fui deducta à meis Dominis Sanctis Angelis ad cælestem Jerosolymam, usq; ad conspectum Domini DEI. Transivi per quasdam veluti nubes, quæ quodammodo rumpebantur; erant enim ex materia spissa, tametsi penetrabili; & postquam illas transivissem, iterum condensabantur: atq; eo modo, cum non exigua mea molestia, perveni ad conspectum DEI. [*hoc significat, quàm difficilis sit via ad DEI conspectum, & quòd derelinquenda sint omnia terrena, ut ad illum perveniat.*] Postquam me Divina Majestas vidisset, dixit mihi: Anima, esne hic? venisti huc jussu meo, quid vis? pete, quod tibi placet, quia id faciam. Ego avidissimè, ex Divina inspiratione, respondi: Mi Domine, salutem omnium hominum peto; quod petebam, iterando inter ardentia desideria & affectus identidem: Salutem omnium hominum, salutem omnium hominum, peto, Domine. Hoc dicto fui summo impetu projecta ad meum locum, ac si aliquis projiceret gravissimum lapidem, qui rueret ad suum centrum: Ego tamen non solum non fui consternata, neq; concidi animo; ut potius, videns me in meo loco, animosius ac ardentius repetierim: Domine, salutem omnium hominum à te peto; & attollebam vocem, repetendo eandem petitionem: quin imò etiamsi deturbarer ad infernum, peterem salutem hominum. Interea mihi comparuerunt duo Sancti Angeli ex superioribus, & gravissimi, interrogaveruntq; me: Anima, quid vis? Ego dicebam: Salutem omnium hominum.

Illi mihi dixerunt: Ducemus te iterum ad Dominum diversâ viâ, & facili, ut progrediaris absq; defatigatione, ibi pete, quod volueris. Duxerunt me quâdam viâ tam pulchrâ, amœnâ & gratiosâ, ut absq; ulla mea molestia pervenerim ad conspectum DEI. Divina Majestas me suscepit peramanter, dixitq; mihi: Anima, dic mihi, quid velis? Ego respondi: Mi Domine, ut salventur omnes homines. Dominus autem reposuit: Multum petis. Adverte, me, licet sim omnipotens, & possim omnes salvare, nihilominus operari juxta mea Divina decreta, relietâ hominibus libertate, ut pro sua voluntate disponant de sua salute. Non cogo ipsos, dedi illis liberum arbitrium, & multi sunt, qui nolunt bene uti meâ misericordiâ, nec respondere meis vocacionibus, suntq; mihi refractarij. Fieretne bene, si aliquis Rex ignosceret omnibus suis subditis rebellibus, qui contra ipsum conspiravissent, abutentes ipsius benignitate? certè, non. Tempera tibi: pete aliquid aliud. Ego respondi: Quod peto, Domine, est, ut salves millena millia hominum. Adhuc non bene petis; est multum; pete aliquid speciatim, dixit Dominus: Accede; nonne tibi sufficet, si salvem tot homines, quot potest capere aliquot Regnum? Huic dicto Divino me oportebat acquiescere. Et Dominus mihi pollicitus est, se id facturum: quo fui contenta. Postquam discessi à Domino, reperi me in meo angulo, quo me deduxerunt Sancti Angeli. Benedictus sit DEUS in omnibus operibus suis. Amen.

Perseverante hoc eodem affectu, ac desiderio salutis omnium in mea anima, post paucos dies dixi Domino: Domine, dona mihi aliquid, quod tibi dem; sum enim pauperrima, neq; quod tibi offeram, habeo, nisi tu mihi id dones. Respondit mihi Dominus aliquantò post: Quandoquidem hoc dicis, accipe, quod tibi volo dare. Conspexi derepente solam quandam manum habentem digitos terram versus directos, inter quos tenebat quandam nigrum instar picis. Deinde vidi quandam orbem filaceum, ex quo aureum filum

filum ducebatur per digitos illius manūs; ubi, dum perveniret ad eam rem nigram, similiter nigrescebat, & conglomeratum evadebat unum quid cum illa. Tum dixit Dominus: Accipe hoc. Ego, meo more, timens, tergiversabar, donec in raptu rem illam nigram, quæ erat quasi quadrata, posuisset Dominus ad meam manū; ubi fuit subito versa in gemmam. Statim intellexi, quid significaret, ideōq; ipsam cum magna voluntate offerebam DEO, qui mihi dixit: Ista res nigra, obvoluta filo aureo, quod ab illa est denigratum, est anima cujusdam divitis, quæ per suas divitias se multis peccatis implicuit: Propter tuas autem preces ac tanta desideria, illam converti ad me, donaviq; tibi, ut eam mihi offerres, ac satisfaceres huic desiderio, quo teneris, ut salventur homines.

§. III.

Aliās (in Septembri Anno 1618.) ait, mihi inspiravit DEUS tanta desideria conversionis infidelium, ut mihi præ illis cor dirumperetur. Hoc igitur petebam à Domino, quàm instantissimè poteram. Et Dominus mihi dicebat, postulare etiam ab ipso suam Justitiam, ut vindictam sumat de his Infidelibus. Ego autem dicebam Domino: Non, Domine, Tua Majestas illis debet parcere, & eos convertere ac adducere ad suam Ecclesiam. Speciatim cogitabam de infidelibus Japoniæ & Chinæ, nec non de Hæreticis Galliæ, Angliæ, & Germaniæ, atq; id peto quàm frequentissimè à Domino.

Alio die me Dominus de nomine vocavit, dixitq; mihi: Audis, Anima? Respondi: Ità, Domine. Subjecit Dominus: Visne venire mecum? Ità, Domine, ajebam, ego. Tum Dominus: Ibisne, quò te ego duxero? Respondi: Ità, Domine. Quare Dominus me subito secum univit, unione quãdam admirabili, duxitq; me unà ad quendam locum, ex quo mihi totum mundum valde clarè ac distinctè ostendit obiter lustrandum, & dixit mihi: Vidēsne ibi Galliam, Angliam, Turciam, &

reliquas mundi partes, ac Provincias, quæ sunt destitutæ Fide. Dic mihi modò, quam ex his Provinciis velis, ut illam in tui gratiam convertam ad fidem? Ego respondi: Vellem, ut omnes te cognoscerent & amarent. Dominus autem respondit: Hoc non est congruum meæ Justitiæ: dic, qualem ex ijs velis? Ego quamvis oculis meis obverfaretur Gallia, nihilominus oravi pro Anglia, & dixi: Domine, Angliam. Dominus mihi respondit: Hæc Regio non est ad id disposita; significando mihi, magnam nunc viventis Regis Angliæ improbitatem. Nihilominus mihi Dominus dixit, futurum, quod petebam; non hac tamen ætate, sed aliã. Ego reposui: Semper Tua Majestas mihi dicit, se facturum ea, quæ ego non sum visurus. Memineram enim mihi à Divina Majestate fuisse dictum aliquid aliud hujusmodi. Dominus autem mihi dixit, ita expedire, ut non videam quãdam, quæ Divina ejus Majestas mihi dicebat, sed ut videam alia: atq; sic futurum cum Anglia, quæ secuturis ætatibus esset convertenda, non expresso ullo certo tempore; quòd id non esset eventurum in vita hujus Regis, modò regnantis.

§. IV.

Admirabilior, magisq; obstupescenda, fuit sequens visio: Dum agerem, inquit, cum Domino, ostendit mihi eclipsim solis & lunæ, quæ significabat ipsummet DEUM iratum & offensum; & quosdam Angelos, qui quodammodo discutebant illas tenebras, ut una pars solis aliquantum claresceret. Subito autem quãdam nebula obumbravit Solem, & orta est ingens tempesta pluviz, grandinis, tonitruorum ac fulminum decidentium ex Cælo super mare, & multas naves, ac homines, qui ipsis vehebantur, quas comburebant ac submergebant. Et multi ex illis hominibus ruebant ad Infernum, alij verò deveniebant ad Purgatorium; id quod mea anima spectavit cum ingenti afflictione, ac dolore, implorando Divinam misericordiam

cordiam. Deinde vidi Christum Dominum affixum Cruci, quasi in aëre, inter Cælum ac terram, & veluti imminentem illi procellosæ nubi, quæ significabat Justitiam DEI punientis eos homines, quemadmodum luna eclipsata similiter repræsentabat Justitiam DEI, relinquentis in obscuritate ac tenebris multas animas, propter ipsarum peccata: Angeli DEI, illâ discussione tenebrarum significabant, se voluisse suâ intercessione placare iram DEI, sed tandem, etiamsi aliquid profecerint, non tamen tantum, ut cohiberent impetum Divinæ indignationis. Atq; ipse Filius DEI exhibens suo æterno Patri, in illo mysterio, ea, quæ passus est in Cruce pro peccatoribus, licet sit eorum advocatus, nihilominus propter malam ac perversam dispositionem animarum, non potuit efficere, ut DEUS remitteret rigorem suæ iræ, eò quòd jam ita essent res comparatæ, ut non posset amplius desistere ab exercenda justitia, & à concedendo loco Divinæ indignationi. Omnia ista manifestavit DEUS meæ animæ.

Posthoc me duxit DEUS ad cælestem Jerosolymam, & constituens me in suo conspectu, mihi dixit: Nunquid vidisti, & intellexisti, quod contigit? Tu, pro tua charitate, omnia facis, ac si te aliquid horum concerneret, quia commiseratione tangeris, ac doles, propter afflictiones & mala aliena, quasi propria, ideòq; affligeris ob peccata proximorum, & intercedis apud me pro ipsis, ac si essent tua, atq; eodem modo gaudes & recrearis alienis bonis. Jam ego te, ex mea bonitate, utq; tibi ista compensem, volo exornare duplici veste; unâ albâ, quæ significat gaudium de bonis alienis, & aliâ rubrâ, pretiosâ, splendidâ, quæ repræsentat afflictionem ac dolorem, quem sentis propter damna & mala aliena. Atq; hoc dicto, induit Dominus meam animam imprimis veste albâ, ac tum rubrâ, quæ tota resplendebat, & erat exornata pretiosis gemmis. Deinde accepit Dominus, unâq; omnes tres Divinæ Personæ, quandam grandem catenam auream splendidam,

quam, ubi triplicatam circumposuisset meo collo, intuitus est amanter & benignè meam animam, dixitq; illi: Bene tibi congruunt hæ vestes, & appares sponsi manu ornata ac vestita: deducam te modo ad thalamum, donec adveniat dies nuptiarum celebrandarum, in nunquam terminanda æternitate. Tum me Sancti Angeli statim deduxerunt in meum locum. Postquam mihi fui reddita, dixi magno affectu: Aliâ vice, mi DEUS, ac Domine mi, quando tu exeres tuam iram, sicut fecisti, ego me constituam in medio tempestatis & fulminum, brachijs quam maximè expansis, ut pro viribus contineam, furorem tuæ indignationis; atq; id mea anima dicebat DEO cum magno dolore, & videor mihi per omnes hos dies ferre universos homines, quasi incumbentes humeris, atq; sub meis brachijs, tanquam filios viscerum meorum, cupiens ipsos juvare, ac tueri ab omni malo & peccato: Verum, quia nihil valeo, nec possum, omnia terminantur in his affectibus ac desiderijs; quamvis Dominus, ut me consolaretur, dixerit, multis à se fuisse præstitam gratiam, propterea quòd sit qui est, & ego miserabilis id ab illo petiverim.

§. V.

*S*avior & gratiosior fuit sequens visio in favore proximatorum. Dum, inquit, (in Julio Anni 1622.) vehementer angerer & exagitarer quibusdam apprehensionibus, quibus me Dominus permittit vexari aliquot diebus, & miserabile corpus vehementer esset confractum ac afflictum doloribus, alloquutus est Dominus meam animam peramanter & benignè, compatiensq; mihi, propter meos dolores, ac internas afflictiones, dixit: Anima mea, quid habes? quæ causa est tui doloris & afflictionis? requiesce modo in me, & cessent tuæ afflictiones, quia non habes, cui affligaris, neq; ullam rationem, ob quam angaris. Considera, quid à me velis, & pete à me, quod volueris. Audiens mea anima hæc Divina verba, fuit repleta summo

mo solatio & gaudio, atq; rapta est quasi in ecstasim, ac unita suo DEO; ubi verò sibi aliquantum est reddita, priusquam esset præparata, vel scivisset, quid esset petitura à suo DEO, incepti altâ voce dicere: DEUS mi, & Domine mi, ac omne bonum meum, quod mihi à te peto dari, quòd; mihi debes concedere, est, ut impertiaris tuam sanctam Benedictionem, ex tua infinita bonitate, omnibus, qui se mihi commendaverunt: neq; aliter ullo modo fieri oportet, sed necesse est, ut ipsis bene preceris. Et cum eo fervore ac affectu expandebam mea brachia, valdeq; procul in altum elevata clamabam & dicebam: Filij mei animæ meæ, (quod aliàs nunquam dico) venite huc, quàm citissimè, nolite morari (& advocabam illos manibus,) ut suscipiatis benedictionem vestri magni DEI, ac Domini. Ad hanc invitationem & vocem meæ animæ veniebant omnes celeriter, cum suis Angelis Custodibus, qui ipsos adducebant. Agnovi quosdam ex illis, qui advenerant, & simul sumpti erant plures, quàm ut possent locum habere in aliquo magno templo. Cùm viderem omnes illas animas circa me, & coram Christo Domino, affluebam ingenti solatio, & prostrata ante ipsius Majestatem, repetebam meam petitionem, ac dicebam: Vidésne eos hîc, mi DEUS ac Domine; da illis benedictionem. Audivit me Dominus perquam amabiliter, ac amènum exhibendo suum Divinum vultum, & amantissimè, gravissimèq; his meam animam est alloqvutus Divinis verbis: Quid est hoc, Anima? quis te huc adduxit, cum ista vehementia, tam ferventium affectuum? quid vis, & petis? quiesce jam, neq; sis ità præceps, & attende bene, quid petas: volo enim tibi dare tempus loquendi. Ad hæc dicta, tam divina & mirabilia, quibus DEUS meam animam fuerat affatus, ipsa pro suo fervore respondit: DEUS mi, & Domine mi, ego bene scio, quid petam: est enim, ut, pro tua infinita bonitate & misericordia, impertiaris tuam sacram benedictionem omnibus istis animabus, quæ hic adsunt, in Divino tuo conspectu. Be-

ne dicis, Anima, (ajebat Dominus) ego quæro, an fortè scias, ipsas omnes habere dispositionem requisitam, ut illis præstem istam gratiam, & misericordiam, quam tu petis? mea anima respondit: Mi Domine, non habes, quod opponas meæ petitioni, hanc enim gratiam hodie infallibiliter à te præstari oportet, propter tuam bonitatem & misericordiam. Tum mihi dixit Dominus: Visne forsitan, ut transgrediar leges, jam inde à mea æternitate consignatas in tabulario meæ Sapientiæ ac Divinæ Justitiæ, quas nequeo præterire? nimirum, creaturam debere esse dispositam meâ gratiâ & auxilio, ut ipsi conferam novas gratias ac misericordias, & illa easdem à me suscipiat. Etiam si enim mea potentia sit infinita, quâ possum facere omnia, quæ volo; leges tamen meæ stabilitæ sunt, quales esse dixi. Quid respondes ad hoc? Quando mea anima, audivit ista dicentem suum DEUM, prostravit se & obmutuit, nesciens quid diceret, atq; ut erat attonita ac obstupefacta, aspiciebat quaquaversum, ubi essent ipsius Sancti Angeli, sed ipsi tacebant, & nihil loquebantur. Interea mea anima abruptit silentium, & cum magno fervore ac vehementia dixit suo DEO; Domine mi, & DEUS mi, bene omnia dixisti; verumtamen ego me ijs non implico, neq; illa cupio intelligere, & nolo aliud facere, quàm conijcere oculos in tuam infinitam bonitatem, potentiam, & sapientiam ac misericordiam: cæteroquin potes facere quidquid vis, quòd; est conforme tuæ sanctissimæ Voluntati. Hoc ego arripio, & huc recurro, neq; aliud quidam scio. Domine mi, rogo te per temetipsum, ut in mei gratiam bene preceris omnibus istis hminibus; & interea vocabat omnes celeriter dicendo: Venite citò filij mei, ad suscipiendam benedictionem nostri DEI. Audivit Dominus hos meæ animæ ardores divi, & cum summa complacentia atq; gravitate, ac dixit: Verè es valde fervens, Anima mea, & convicisti me, ideòq; quàm promptissimè, & libenter volo facere, quod à me petis. Statim autem atq; hoc dixit Dominus, omnes illi Sancti Angeli præ-

sententes inchoaverunt quandam Divinam & cælestem musicam, atq; paulò post cessaverunt, ac tum Majestas JESU Christi, Nostri Domini DEI & Homini veri, cum summa autoritate dedit tres benedictiones omnibus ijs animabus, quæ aderant, dicendo latinè: Benedicat vos omnipotens DEUS Pater & Filius, & Spiritus Sanctus. Et omnes illi beati spiritus suo cælesti cantu responderunt: Amen. Deinde surrexerunt omnes eæ creaturæ, quæ se prostraverant, ut susciperent benedictionem sui DEI, & fuerunt abductæ à suis Angelis Custodibus, qui ipsas adduxerant ad suscipiendam illam gratiam DEI. Ego mansi in magno raptu, & quando ad me redij, reperi me plenissimam solatio, agebamq; magnas gratias DEO, pro omnibus operibus ipsius ac misericordijs. Ipse fit benedictus in æternum, Amen.

Alio die manè, dum quasi essem immemor præteritorum, mihi loquutus est Dominus, ac dixit: Anima, quid faciunt illi homines, quibus te procurante & petente bene precatus sum? quid egisti cum ipsis? Quia eram distracta & abrepta, audiebamq; Dominum, respondi: Domine, nescio quid actum fuerit; tu id scis, mi DEUS, tu omnia nôsti. Invigila illis, & conserva mihi ipsos, ac da ijs maxima auxilia; & erâm quasi confusa. Videns me Dominus ita constitutam, dixit mihi quàm benignissimè & amantissimè: Ecce, volo tibi dicere, quid agatur. Scias velim, ab omnibus illis animabus me fuisse ardentè & instanter rogatum, ut propter tua merita ac dolores, illarum miserer, ijsq; succurrerem.

Dum id mea anima audiret dici à suo DEO, fuit vehementer turbata, ac dixit: Quid est hoc, mi Domine, & DEUS mi? ego non habeo ulla merita, sed multa delicta & peccata, quæ commisi coram tua Divina Majestate: neq; præstiti quidquam tibi gratum, ac proinde propter tua sacratissima merita ipsis præstabis gratiam & misericordiam, proptèrque tuam infinitam bonitatem. Bene habet, Anima (dixit Dominus) ego tamen cogito facere, quod à me petunt, ac postulant istæ animæ, ad


cum modum & finem, quo id à me petunt. Rursum replicui cum dolore dicendo; nullâ ratione sic fieri debere, si quidem id ipsis nihil posset prodesse. Dominus autem respondit: Veni huc Anima, quare consternaris & miraris tantopere, à me propter te fieri id, quod à me petunt, cum tot jam annis, sicut scis, te detineam in craticula S. Laurentij, & alijs multis doloribus atq; afflictionibus? Noli adeò consternari, quia & hoc, & multo plura faciam, ac facere cogito, propter te. Erant incredibiles affectus, quos tum sensi, doloris ac amoris DEI, cujus infinitam bonitatem in communicando se taliter suis creaturis admirabar.

§. VI.

Verùm ne propter suos timores intermitteret agere quod agebat, dum hæc infirmitates pateretur, voluit illi DEUS exhibere istam visionem (in Augusto Anni 1619.) Arripuit, inquit, me Divina Majestas quodam die in brachio, & traduxit per quendam exiguum ac demissum ignem: atq; in eo transitu sensi quasi languorem, seu difficultatem quandam respirandi, qualis sentiri solet aliquo die adivo supra modum calido, neq; sum experta majorem molestiam, quàm istam; & DEUS me duxit ad hortum sui cordis, seu pectus Christi JESU Domini Nostri, ubi fui summè recreata & confortata. Sequenti die Divina Majestas idem fecit, sed sensi in igne majorem molestiam, ac deinde in illo Divino pectore majus refrigerium, & majus solatium. Tertiâ die fecit Divina Majestas similiter, quo sum experta majorem difficultatem intra ignem, atq; etiam multò majus gaudium, solatium & recreationem in eo Divino horto Divini pectoris, non absq; speciali ejusdem agnitione. Postea me intromisit Dominus in suum Divinum Esse, ubi fui submersa, in illis Divinis tenebris ipsius Divinitatis. Non poteram intelligere, quid significaretur eo mysterio, & cogitabam, an non fortè me vellet Dominus transferre ad se, atq; mysterium significare,

ret, me ituram ad Purgatorium, ut ingredi-
diar Cælum cum ea puritate, quæ talem
locum decet. Dominus autem mihi di-
xit: Quid agis, Anima? deniq; tu propter
tuos timores, tibi semper imaginariis mo-
lestiora. Non est, quod cogitas. Istud
mysterium significat, te his diebus magis
esse occupatam cum proximis, quàm aliàs,
ex mea voluntate: & quamvis cum ipsis
pertranseas ignem, ego tamen te semper
duco, sustinendo tuum brachium, neq; te
derelinquo, ac deinde te pono intra me-

um pectus: atq; quando vel maximè ti-
mes, etiam tunc te meâ manu sustento,
nec te deserò, sed neq; deseram, donec te
ex meo pectore deducam ad meam æter-
nitatem. Noli metuere, quia, me adju-
vante, quæcunq; egeris, bonum habebunt
exitum. Hæc est significatio istius my-
sterij. Fui magnopere exhilarata, & gra-
tias egi DEO pro omnibus.



CAPUT XI.

De charitate, quâ procuravit conversionem quo-
rundam peccatorum, exhibendo se promptam, ad tolerandos pro ipsis gra-
ves cruciatus: & quomodo illi DEUS promiserit, quòd esset con-
versurus quemlibet, pro quo ipsa apud eum, die Sacræ
Communions intercederet.

Descendamus ad particularia.
Demonstravit Marina suum
ardentem zelum, quando se
illi commendabant peccatores.
Et quamvis ipsa neminem suspicaretur, ver-
sari in malo statu; si quis illum tamen ei
indicabat, succurrebat ipsi pro viribus.

§. I.

Sub ipsa initia illi accidit, ut D. Aloysia
de Padilia, Comes S. Gadeæ illam secum
Empudiam ad paucos dies duceret, pro suo
solatio, & D. Martini de Padilia sui ma-
ritimi, qui erat ejus loci Gubernator. Habe-
bant domi sue quoddam mancipium, Mau-
rum pertinacissimum in sua secta, ac aver-
sissimum ab ingressu templi. Quod cum
ipsa rescivisset adibat cum una socia locum,
in quo ille distinebatur eluendis pannis (erat
enim lotor) & loquebatur cum eo quàm sua-
vissimè de rebus, concernentibus ipsius ani-
mam. Dum pro illo oraret, incepit du-
rum cor Turcæ emolliri, qui, DEO dispen-
sante, quâdam nocte somniavit, quòd prateri-

ens aliquod templum, viderit apertam por-
tam, & intus in throno habente gradus, ve-
nabilem quendam virum, (descripsit ip-
sum tali indutum vestitu, quali hic conse-
verunt uti Episcopi) qui illum vocavit, di-
cendo ipsi: Martine, ascende huc. Ille
verò respondit: Ego non vocor Martinus, sed
Ali, & non sum Christianus, neq; ingredi-
or templum. At Sanctus dixit: Debes in-
gredi templum, ac vocari Martinus (fortè,
quia ipsius Dominus, ille Gubernator, ita vo-
cabatur) & accedens compulit ipsum in-
gredi, adactum ictu, quo & accedens illum
percusserat. Recensuit hoc somnium sa-
mule DEI, atq; sic, demum animum ad fi-
dem adjecit, & est adnumeratus Christianis.

Deinde, cum agrotaret, simile quiddam
evenit cum alijs duobus Mauris, mancipijs
Comitissæ de Alcaudete & ipsius Filia, quos
ea Domina ad illam miserunt, ut ei quadam
nunciarent, & ipsa inde sumeret occasionem,
cum illis agendi, de eorum conversione, quòd
fecit. Et conversi sunt, dicente uno, quòd
somniaverit, dictum sibi fuisse, à quodam
valde venabili Viro: Joannes Baptista, ad-
verte, non posse quencquam salvum fieri, nisi

in lege Christianorum. Et credibile est, eos habuisse hæc somnia, per intercessionem hujus famule DEI, quæ ipsos juvabat ac disponebat, ut in illis id efficerent, quod optabat, quemadmodum intelligemus ex sequenti narratione.

§. II.

Longè verò magis elucescit, quantus fuerit hic ipsius zelus, & furor Diaboli, illam persequentis, ex eo, quod ipsa sic refert: Dum paterer notabiles afflictiones, offerremq; me, ad sustinendas alias, ut benè esset animabus, rescivi gravissimum periculum, in quo persona quædam magnæ autoritatis versabatur, quoad animam, honorem & facultates, quod illâ ipsâ volente intellexi, dum instantissimè peteret commendari per me DEO, ut eam liberaret ex illis periculis, si esset sanctissima ejus Voluntas, salvarètq; ipsius animam. Dedit mihi Dominus tantas vires & eum fervorem, dum orarem pro hac necessitate, ut ultra sex aut octo dies, continuè egerim cum DEO, petendo ab eo illius remedium, neq; toto hoc tempore poterim desistere, vel quiescere, donec intellexissem ab ipsamet ea persona bonum successum, quem ex Divina bonitate & misericordia habuerant ejus negotia. Priusquam autem id rescirem, dixi quadam nocte meo Domino, inspirante id mihi ipsiusmet Majestate, me, si pro bono hujus animæ opus esset, vel Divina Majestas vellet, & in eo sibi complaceret, ut ego ipsi ex mea parte offerrem aliquid acerbum ac difficile, id facturam pro bono ejusdem animæ; sed cum pars inferior nonnihil naturaliter abhorreret ab ista oblatione, vellémq; nihilominus, ac desiderarem id facere, dixi animo obfirmato ad Dominum, ut ejus Majestas decerneret, quidquid ipsi placeret, à me fieri, vel tolerari in isto negotio, me enim id ex hoc momento quàm libentissimè acceptare. Audivit me Dominus, suâ solitâ gravitate ac sapientiâ, nec mihi quiddam respondit, sed quasi tacendo acceptavit meam promptitudinem. Istâ occasione diabolus,

sciens aliquid de ijs, quæ agebantur (ut deinde intellexi à Domino) dixit Divinæ Majestati: Etsi istam creaturam, quæ tibi promptam exhibuit ad patiendum aliquid pro juvanda illa anima, quam novisti, verum sit, multos jam diebus pati graves dolores morborum, nunquam tamen mihi tam amplam facultatem tribuisti ipsius affligendæ, quàm ego vellem. Nunc tibi decernendum reliquit, quid eam velis tolerare pro bono illius animæ. Cum libenter velit pati, quidquid Tu volueris, & quævis anima sit tam pretiosa, tantòq; Tibi Domino Majestatis cõstiterit, æquum est, ut pro ista creatura, quæ petit bonum hujus animæ, si illi præstiturus es hanc gratiam & misericordiam, deligas ac decernas graves dolores & cruciatus, atq; ego sim executor illorum ac minister, ut ita Tua magna Majestas videat, quomodo se gerat in majoribus afflictionibus, crucibus ac tormentis, & si à te derelinquatur; utrùm etiam agat fideliter, tẽq; amet, ac tuæ voluntati se submittat, sicut in alijs hæctenus fecit. Audivit Dominus dicta à diabolo, qui solet fusè admodum loqui, & multum blaterare, quando aliquid proponit, id quod facit fraudulenter ac malitiosè, & interdum videtur proferre grandia oracula, postea verò prolata confundit ac destruit, ut videatur nec se ipsum intelligere, neq; dicere intelligibilia. Ille solet esse ipsius modus loquendi. Divina verò Majestas illi respondit uno verbo, tantùmq; dixit cum magna autoritate & Majestate: Abi, & perge. Ecce enim concedo tibi, quod à me petivisti. Hoc audito abiit diabolus ex conspectu Domini contentissimus. Ego autem, quæ hac de re nihil sciebam, sicut dixi, nihilq; tale cogitabam, incepti quodam die Veneris, sub vesperum, sentire dolores acerrimos, præsertim in tribus corporis partibus, qui usq; adeò intendebantur, ut horâ secundâ noctis mihi videretur intra corpus meum inclusus esse hostis quispian armatus, fodicans aliquo telo, ac valnerans dictas partes, unde vehementissimè discruciar, ut me putaverim disrumpendam, ac si immerfâ essem aquæ; neq; potuerim

potuerim jacere, vel me erigere ullo modo in lecto, quia mihi videbantur in ipso, & supra illum, ac ubiq; esse quædam quasi acutissimæ cuspidēs, compungētes & affligentes totum meum corpus. Testes hujus rei fuerunt meæ sociæ, quæ propterea, quod tantus esset cruciatus, mihi adstiterunt totâ nocte. Hæc enim res duravit usq; ad meridiem Sabbathi; alij verò immanes dolores duraverunt circiter quindecim diebus, non tamen absq; aliquanto majore lenimine. Sustinui illud tormentum, conformando me cum Divina voluntate, quæ erat ipsiusmet DEI bonitas ac misericordia, etiamsi multos committerem defectus, quos quavis occasione committo. Et quia ignorabam, quemadmodum jam dixi, dispositionem Divinam, quidve actum fuisset cum diabolo, attribuebam partem ejusdem cruciatus causis naturalibus; quamvis etiam animadverterem à diabolo magis exacerbari dolores, quos patiebar, ipsūq; adlaborare & cooperari, ut eos sustineam.

Post elapsos quatuor vel sex dies, ab his vehementioribus doloribus, quodam die nihil minùs, quàm tale quid cogitans, conspexi diabolum, in specie nigri ac deformis pusionis, qui se exhibebat valde humilem, & provolutus erat in genua, atq; junctis manibus, afflētus, confusus ac tristis coram Christo JESU Domino Nostro; hic autem sacratissimus Dominus, quodam gravissimo modo, ac terribili, & cum magna Majestate illi dixit: Ades inimice; quid tibi nunc videtur, de illa mea creatura, quam, me permittente, tantopere afflixisti, & excruciaxisti? reperistine quidquam in illa, quod optaveras, animoq; tuo conceperas? responde, dixit Dominus. Et diabolus respondit timidâ ac tristi voce: Magne Domine, non reperio, quid dicam Tuæ Majestati; nihil inveni culpabile, neq; potui quidquam efficere: quia ista creatura, à te adjuta, in his cruciatibus, quibus ipsam, te permittente, fui conatus affligere, se gerebat eo modo, quo Tua Majestas se gessit, in oratione & agonia horti, spiritu prompto & resignato in Divinam voluntatem, quamvis infirma

esset caro. Tum dixit Dominus: Itâ fuit, proditor; vade, apage, & aufer te ex meo conspectu. Hoc audito, diabolus se inde proripuit vehementer pudefactus & confusus, atq; tunc rescivi à Domino, quod dixi de facultate, quam diabolus, occasione illius animæ, ab ipso petiverat, & quomodo eam ipsi concesserit, nec non, quid tum acciderit.

Ex hac visione animadverti potest, quomodo ignis tribulationum, quem diabolus succendit, contra eos, qui incumbunt in conversionem animarum, illis non obsit, quia ipsemet DEVS illos liberat ac protegit juxta suam promissionem, commemoratam in fine precedentis Capitis.

§. III.

Verùm ulterius est progressa infirmitas hujus Domini liberalitas, in remunerando zelo istius suæ famulæ, dum illi præstitit duplicem excimium favorem, qui erat accommodatissimus ipsius sancto desiderio. Postquam (in Decembri Anno 1618.) inquit, diu familiariter egissem cum Domino, vidi de Cælo descendentes plurimos Angelos. Incepi statim timere, meo more, petendo à Divina Majestate lumen pro agnoscendis ipsius veritatibus; utq; id melius facerem, aggressâ sum attentè recitare quasdam preces vocales. Dum eas dicerem, fui abstracta à sensibus, itâ ut, contemplando dictum mysterium, illas non possem prosequi. Et subito conspexi oculis animæ descendentem ex cælo Majestatem Christi Domini graviter, & cum magna Majestate. Pervenit usq; ad terram, & postquam confedisset in quodam eleganti throno, non longè à me, Domini mei Angeli appropinquantes mihi dixerunt: Accede, Soror nostra, & adorabis Dominum, videbisq; mirabilia, quæ tibi Divina Majestas pandet: ac tum me humiliatam collocaverunt ad pedes Domini, atq; mea anima summâ & arctissimâ unione fuit conjuncta suo DEO, & tangebam inclinato capite genu Domini. Mansi hoc modo aliquandiu, & mei Domini Angeli metuentes, ne mea natura

T t t

debili-

debilitaretur, veniebant ad me, volebantq; me exsuscitare. Dominus autem dixit bis: Permittite illam modò in me requiescere. Paulò post cecidi prostrata in terram; unde me elevaverunt mei Sancti Angeli, quasi mortuam, aut viribus destitutam, qualem me ipsamet agnovi, & reposuerunt me in meo loco, ubi statim coniectis oculis in Dominum, vidi, quòd Divina Majestas suo illo sacratissimo modo gravi vocaverit unum Angelum, & indicando ipsi digito in quadam charta, seu membrana candidissima literas quasdam Divinas & arcanas, dixerit, quid ei esset legendum, ac propalandum coram ipsius Majestate, & omnibus ijs sanctis Angelis. Angelus suscepit scriptum perquam reverenter, & transiens ad alterum latus Domini, petivit attentionem ab omni illa præsentium Angelorum multitudine, legensq; illud cum reverentia & admiratione, ita dixit: Noverint omnes beati Spiritus & Angeli DEI præsentis, quòd noster magnus DEUS ac Dominus Majestatis, quia est, qui est, præstet gratiam & misericordiam huic præsentis Animæ, concedendo ipsi denuò Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium ejus peccatorum, quotiescunq; sumpserit Divinum Sacramentum: atq; si eo die intercesserit apud DEUM, pro quapiam anima existente in peccato mortali, hunc illi exhibet favorem & gratiam, quòd ipsam sit liberaturus ex malo statu, daturusq; illi talia ac tanta auxilia, ut consequatur suam salutem. Postquam hoc legisset, complicit suam chartam, & transivit ad locum, in quo prius fuerat. Tum Dominus Majestatis surrexit, & intuens me peramanter ac misericorditer Divinis oculis, dedit mihi suam sacro-sanctam Benedictionem in nomine totius Beatissimæ Trinitatis, dixitq; mihi: Anima mea, vale, & dic mihi, an modò affluas solatio? Ego humi prostrata, ipsum laudabam ac benedicebam, propter omnia opera ejus ac misericordias, rogabamq; illos sanctos Angelos, ut idem facerent. Post hoc Dominus incepit abire, eo modo admirabili, quo advenerat. Dum illum viderem

abeuntem, incipiebam dolere, ac dicebam anhelans: Noli discedere, dilecte mea anima, & Domine mi, noli discedere duc me tecum, nec enim hic possum manere, neq; mihi est hic manendù, Domine mi. Ad has voces substitit Dominus, & conversus non-nihil ad me, dixit mihi quàm amantissimè: Quid vis, Anima? Tecum ire, Domine, aiebam. Sit ita, licet, respondit Dominus, & præcepit meis Dominis Angelis, ut me ducerent cum Divina ejus Majestate; verùm illi reluctabantur, & respondebant Domino dicentes, naturam debilem multum passuram in hoc assensu. Tunc meus Angelus Custos dixit: Dominus ipsam confortabit, ducamus illam. Dominus quoq; me subito iussit duci. Abiit anima mea cum Domino, plena solatio: sed postquam pervenit ad altitudinem Cælorum, Dominus illos permeavit, quos mea anima volebat similiter pertransire, sequendo Dominum, verùm non potuit. Fuit autem ipsi exhibita, nescio qualis, Majestas DEI, quam nescio verbis exprimere, eò quòd tanta fuerit: & erat adeò invetera anxietas, quæ ex illo spectaculo redundavit in naturam, ut gement ac suspirans existimaverit, se ibi viribus destituendam: statim autem ipsam acceperunt illi Sancti Angeli in suas manus, & reponentes me in meo loco, dixerunt: Quiesce, Creatura DEI, es enim contracta ac debilitata. Et verò ita profus fuit, nam eram vehementer conquassata.

In hac visione est valde ponderanda conjunctio harum duarum insignium gratiarum, quia Indulgentia plenaria significat, illos, qui satagunt, ut convertantur peccatores, obtinere à DEO remissionem suorum peccatorum; & promissionem de illis convertendis, esse premium eorum, qui in hoc negotio sunt magno præditi zelo, ut consequantur suos fines, favente ipsis DEO, qui eos juvat, & per ipsorum verba, propter illorum preces, movet voluntatem peccatorum, cujus rei deinceps videbuntur plura exempla.

§ IV

§ IV

§. IV.

Sed non hinc desit inchoata visio. Paulo, *Inquit*, post, mei Angeli circumdederunt lectum, quasi expectarent aliquid insolens, quod facturi essent diaboli. Et vidi unum totum ardentem, cum tympano quodam rauco, quem sequebantur alij duo gestantes vexilla, quæ raptabant per terram, & post hos magnam turmam diabolorum vociferantium ac tumultuantium. Ferebant in sandapila, seu medio feretro mortuali, quendam defunctum involutum linteo, cujus facies patebat; reliquum autem corpus erat cooperatum bufonibus, lacertis, & similibus reptilibus; in anteriore autem feretri parte erant insignia officij, quod gesserat. Feci quantum potui, ne illum aspicerem, videbar enim mihi eum agnitura, si ipsum intuerer, & nolebam illum agnoscere. Hoc modo me præteriverunt, & discesserunt procul, quoad usque ipsos non amplius viderem. Intellexi, quod mihi DEUS voluerit exhibere istud spectaculum, ut intelligerem quanta sit miseria animæ damnata, quantumque mihi beneficium præstiterit, concedendo mihi, ut converteretur anima existens in peccato mortali, pro qua apud illum intercederem, ut animarer ad orandum, pro talibus animabus. Post paucos abhinc dies, vidi venientes multos homines, gestantes lumina, ac adferentes alium, quasi destitutum viribus, aut media ex parte incumbentem brachijs; quem, postquam fuissent ingressi meum cubiculum, magis agnovi, esse illum ipsum, qui à me prius fuerat visus.

Procubuit pronus humi, mordendo terram præ indignatione, & erecto ad me capite dixit: Serva DEI, miserere mei, quia secundum præsentem justitiam, sum damnatus ad Infernum. Postquam id dixisset, venit quidam proceræ staturæ & ferox diabolus, atque arreptum per pedes, raptato humi ejus capite, abstulit. Ego faciebam, quantum poteram, ne id viderem, ac ne suspicarer, illum hominem, quem noveram, existere in malo statu, vertensque me ad meos Dominos Angelos, dixi illis: Domini, quid est hoc? quis mihi attulit hunc hominem. Responderunt mihi: Angelus ipsius Custos, DEO permittente. Reposui: Quis autem protulit illa verba? Tum contraxerunt humeros, & noluerunt mihi respondere.

Non retulit Marina finem tam horribilis casus, & est sedulo expendendum, quod, etiamsi tanto esset præditæ zelo conversionis peccatorum, promississetque, ipsi DEVS prædictam gratiam, tamen non fuerit permota ad petendam conversionem hujus peccatoris. Fortè ideo, quod, dum Divina Majestas firmiter decernit, punire quempiam obstinatum peccatorem, aufert suis servis vehementes impulsus, ad orandum pro eo juxta illud, quod dixit Propheta Jeremia: Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te. Et prædicta promissio intelligitur de hujusmodi oratione, quod illi declamavit aliàs, dando ipsi clavim, quæ significabat facultatem obtinendi, quidquid peteret, ut suo loco dicitur.

☉)**(☉)



CAPUT XII.

Quomodo ipsi DEUS manifestaverit pericula & necessitates quarundam animarum, ut illis subveniret suis precibus ac monitis, docueritq; illam, quæ ipsis essent dicenda.

EA erat aliquo tempore specialis DEI cum, ut sua famula inspiraret, eamq; instrueret, quid dicere proximis, & quibus de rebus monere deberet eos, qui se ipsi commendabant. Alias autem illi etiam manifestabat pericula & necessitates nonnullarum animarum, ut pro ijs oraret, & impediret pœnas ipsis imminentes. Ex his omnibus recensēbimus & adferemus quedam insigniora & utiliora, quibus nullum subest periculum, deveniendi in cujusquam notitiam.

§. I.

IN primis, ait ipsa, quia me quàm timidissimè gerebam conversando cum proximis, eò quòd essem fœmina, mihiq; conscia meæ fragilitatis ac miseriarum, vidi quodam die (in Septembri anni 1602.) Christum Dominum, qui habebat librum, seu quandam adumbratam imaginem in suis manibus, quam Divina Majestas inspiciebat, & volebat à me inspicere, ut in ea lineari, seu umbratili pictura intelligerem omnia, quæ in me DEUS intuebatur ac videbat, mihi fuisse à ipsomet data & collata, effeq; illius opus, id quod me animavit, affecitq; solatio, & hic animus augebatur experiētiâ eorum, quæ mihi contingebant in ista conversatione: sæpè enim mihi DEUS manifestabat supernaturali lumine malum statum, vel periculum eorum qui mecum loquebantur, atq; ego illos juvabam eo modo, quem mihi Divina ipsius Majestas suggererat: aliàs autem mihi dicebat, hos vel illos, si eos alloquerer, convertendos, aut adjuvandos; incitando me, ut conarer ipsos alloqui: interdum mihi dicebat monita, quæ illis deberem dare, & jubebat me ea ipsis intimare adeò manifestè ac potenter, ut non

possem aliter facere, nisi vellem præterire DEI voluntatem, à quo mihi indicabatur, quamvis id semper fecerim cum aliqua repugnantia meæ naturalis verècundia, atq; petito consilio à meo Confessario.

Aliquando Pater quidam spiritualis me rogavit, ut commendarem DEO quandam personam, cujus ipse excipiebat confessiones, & de qua erat magnopere sollicitus, eò quòd haberet quædam infueta, & sublimia, quibus metuebat, subesse illusionem ac deceptionem Satanae, qui se transfigurare solet in Angelum lucis. Feci, quod mihi dixerat, tam sollicitè, ut mihi illam personam in eo periculo constitutam semper viderer gestare in humeris, & quotiescunq; illam videbam, vel DEUS mihi ipsam repræsentabat, dicebat mihi: Adverte hic esse deceptionem. Videbaturq; mihi, eandem subinde exhibere, ac si mihi aperiret illius conscientiam, eamq; mihi manifestaret. Ego vehementer timebam, ne esset diabolus, qui me vellet circumvenire, & dicebam DEO, me nihil velle scire de ea persona, præterquam ut si esset illusa, Divina Majestas ipsam illuminaret, suâq; manu sustineret; quòdq; si ego aliquid possem, darem vitam meam & sanguinem pro salvanda ejus anima. Verùm DEUS, quando mihi illam ponebat ob oculos, quod sæpè faciebat, mihi dicebat: Ecce! hic est fraus. Ego autem ei dicebam: Mi Domine, si ita est, quid vult Tua Majestas, à me fieri? Jam dixi, quòd essem datura vitam pro ipsius salute. Tu medere malo, quia potes. Post hoc mihi Dominus iterum idem dixit; addiditq;: Dic id ipsius Confessario. Ego hoc dixi meo Confessario, & feci, quod iussa eram: verùm Divina Majestas mihi iterum dixit: Dic hujus personæ Confessario, ut attendat: decipitur enim ibi.

ibi. Dixi id ipsius Confessario, qui me rogauerat, ut istud negotium commendarem DEO: Sed dixi, ut obedirem, etiam si non absq; magna difficultate; vellem enim potius centies millies mori, quam ullo modo offendere meum DEUM. Sequenti die rursus iteravit idem, addendo: Dic illi id, quia hac ratione oportet occurrere malo. Ego tergiversando dixi: Domine, dicat id ipsi Tua Majestas, ego enim non scio dare consilia. Post modicam moram dictum mihi rursus fuit: Tu dic, quod tibi dictum est. Tunc tacui, & feci, quod absq; graui conscientiae remorsu non possem aliter facere.

In hac revelatione apparuit certamen duorum affectuum, qui videntur contrarij, licet sint boni: affectus videlicet iuvandi animas aliorum, & verecundia ac timor proprii damni, atq; Divinae offensa. Propterea non offendebarur DEVS his oppositionibus. Imò, inquit, me solabatur; quia cum ego illi dicerem: Tunc es Domine, qui mihi ista dicis? an verò ego decipior? illuminabat me Divina Majestas quodam lucis radio, ut clarè perspicerem, me non decipi. Dicebantq; ipsi: Domine, tu scis meam voluntatem, & quòd, si scirem, quid velles, ruerem ad illud opere complendum, etiam si me oporteret intrare ardentem ignem. Doce me igitur, quid hac in re mihi sit agendum. Dominus respondit: Si hoc habes, atq; sentis, quare times in isto negotio quidlibet facere? Cum autem propter meum scrupulum subinde iterum dicerem: Domine, tunc es? audiebam mihi respondentem: Nescio, quid ampliùs tibi fieri debeat, ut acquiescas: nihil deest aliud, quam ut tibi dicatur verbis sensibilibus, quo magis turbaberis.

§. II.

Aliàs mihi idem Dominus manifestavit periculum animarum. Quadam vice, cum orarem, mihi dedit DEUS clarissimum lumen, quòd in summo vertentur discrimine & periculo perditionis

tres vel quatuor animarum, quas pro sua infinita bonitate volebat erutas ex eo periculo, & constituere in via salutis; atq; propterea dignatus est, sicut ipse novit, illuminare meam animam, ut agnosceret istam necessitatem, simulq; me movere efficaciter & potenter ad commiserationem, ac desiderium ipsi id succurrendi, & ad petendum ab ipso multis lacrymis & gemitibus: quia ultra quindecim dies, non potui quiescere, nec evellere ex meo corde hanc necessitatem, neq; cessare ab ab eo rogando, ut illi succurreret, donec me illuminaret, quòd jam sint in via salutis; quo intellecto fui recreata, & quievi.

Dum alià vice agerem cum Domino, vidi quòd vehementer irasceretur, deprecissèq; punire quendam, propter aliquod grande peccatum, ab ipso commissum, datà occasione multis alijs, faciendi tantundem, eò quòd esset primariae inter ipsos dignitatis, qui id perpetraverat. Quebatur Divina Majestas, & meritò, dicebaturq;: Quid tibi videtur de malignitate hujus hominis, qui gratis, & sine ullo suo commodo me offendit; atq; sic mecum egit, ac si me non nòsset, nec in me crederet, & ità peccavit ac induxit alios in peccatum, ac si haberent DEUM ligneum, non videntem, nec intelligentem, neq; potentem punire ipsorum scelera. Ego verò illum graviter castigabo, quòd ipse experietur. Quando adverti DEUM tantopere, & justissimè indignari, videbar mihi etiam irasci, & dixi, Divinam Majestatem jure meritissimo ità succensere: sed cum dolerem ex animo, ob poenam, quam volebat infligere illi miserabili, dixi secundo Divinae Majestati: Mi Domine, propter tuam bonitatem, & per viscera tuæ misericordiae, ignosce isti homini, nec illum tam graviter puni. Dominus autem mihi respondit: Apage, ne mihi hac de re loquaris. Ego tum conticui, quia ipsum adverti ità constitutum, ut mihi visum fuerit, non esse bonum tali tempore loqui, & usq; adeò magnà commiseratione erat commotum cor meum, ac dolore, ut illum nesciam verbis exprimere. Tantum dicebam: O te infelicem! & cum

non possem quiescere, denuò me converti ad Dominum, dicebámq; illi: Miserere illius miserabilis, tuo sanguine redempti. Sed ipse mihi rursus dicebat: Apage. Ego autem propter desiderium, quo tenebar, juvanda ejus animæ, dixi: Hoc tamen, mi Domine, tibi volo dicere: Miserere animæ ipsius, propter magnam bonitatem tuam. Atq; tunc jam experiebar Dominum benigniorem, & spero ipsum fore ei propitium.

Aliàs (in Augusto anni 1601.) Dum current tauri in foro, & ego essem in mea collectione, fui ducta ab Angelis in spiritu ad idem forum, in quo vidi multos diabolos, qui ibi erant, ut exequerentur suum officium, referrentq; sua lucra. Postquam autem me conspexissent, valde illis id displicuit, dicebantq; sibi invicem: Hic venit ista maledicta. Ibi mihi ostendit Dominus quandam animam, quæ eodie juxta cursum ordinarium, verfabatur in præsentis periculo damnationis; & hæc fuit præcipua causa, quòd me eò duxerit, ut intellexi à meis Angelis. Statim, ac adverti tantum periculum illius miserabilis, converti me ad DEUM, orans ipsum quàm instantissimè, ut ei succurreret; ac tandem inde abivi cum magna fiducia, quòd illum esset DEUS liberaturus. Et verò non fuit rescitum, quòd eodie acciderit ullum infortunium ex ijs, quæ solent in ejusmodi ludis evenire.

§. III.

Mirabilior est sequens visio, & plena præclaris monitis, in qua ipsi fuit revelatus status quarundam personarum, quæ sub prætextu cæli, præbebant occasionem gravium peccatorum, ut pro illis omnes. Dum, inquit, egissem cum DEO, intercessissemq; apud Divinam Majestatem, pro magna necessitate cujusdam personæ, vehementer optans, ut illi DEUS succurreret, elevavit anima mea oculos, & vidit Majestatem Christi JESU Domini Nostri pendentem è Cruce. Habebat autem manum sinistram refixam à Cruce, & brachium pendulum, ac medium corpus pro-

num ad casum, ut Dominus videretur ruiturus in terram, cum summo suo dolore. Videns anima mea hoc spectaculum tam luctuosum, vehementissimè fuit afflicta ac indoluit; & quia putabat, suum Dominum casurum ad terram, tanta cum molestia, accurrit quàm celerrimè, volens ipsum complecti, ne caderet. Verùm Dominus videns ejus animum & conatum, dixit illi: Contine te, Anima, quid volebas facere? Propter hoc dictum Domini se continuit mea anima, & obstupuit, fuitq; rapta in ecstasim, intuens suum DEUM cum magno dolore, & compassionem. Postquam ità aliquandiu mansissem, dixit mihi Dominus: Anima, vide, quàm sim afflicta, quantumq; patiar. Depone me ex ista Cruce, & refige me ab illa; aspice, quantopere crucier. Quia mea anima fuerat territa eo, quod ipsi priùs dixisset Dominus: Contine te; quamvis modò diceret: Depone me ex ista Cruce, non fuit ausa accedere, & continebat se, etsi id desideraret. Verùm Dominus, idem mihi dixit secundo: Anima, depone me ex ista Cruce, quia valde affligor. Videns se mea anima urgeri à Domino ad id faciendum, quamvis etiam sentiret difficultatem, quòd sibi non videretur habere vires ad sustinendum illud sacrum Corpus, nihilominus accessit, & complectens fortiter suum DEUM, deposuit ipsum ex Cruce, atq; cum summa reverentia & commiseratione extendit humi in sudario, & cum lacrymis ac dolore composuit idem sacrum Corpus sui DEI ac Domini, quod apparebat exanime, & vehementer deformatum, ac lamentabile. Dissaviabam lacrymans, & adorabam illa sacrata vulnera, ac deinde illo sudario cooperui sacrum cadaver. Postquam id jam peregissem, dixit Dominus meæ animæ: Anima mea, aufer me hinc ad sepulchrum, ubi me collocabis, & relinques. Audiens mea anima, id dicti à suo DEO, qui loquebatur in sacro illo corpore, fuit sollicita & anxia, quia ipsi videbatur, esse difficillimum, facere, quod illi Dominus dixerat & imperaverat, ideoq; ei respondit: Domine mi, & DEUS mi, quomo-

quomodo potero ego tam debilis & imbecillis facere, quod mihi præcipis? Aufer me hinc, Anima, ad sepulchrum, & sepeli me ibi (dixit Dominus) quia poteris. Postquam hoc Dominus dixisset meæ animæ, fuit animata & corroborata, atq; accedens ad illud sanctum cadaver, eleuauit illud ex eo loco, in quo jacuerat, cum magna reuerentia, tulitq; extensum in suis brachijs ad locum sepulchri, comitantibus ipsum infinitis Angelis, & in eo collocavit, ac deposuit. Quamvis autem iter fuerit longum, & sacrum corpus tam magnum, quanta erat statura Christi Domini, nihil mea anima sensit molestiæ, nec fuit fatigata. Tum dixit Dominus, postquam jam ipsum posuisset in eo loco: Anima, modò claude sepulchrum illo lapide. Anima, utpote corroborata à suo DEO, ac bene disposita, accepit statim eum lapidem faciliè, imposuitq; sepulchro, & ibi procubuit osculando ac adorando illum sanctum locum. Interea vidi duos Angelos DEI, quorum alter stabat ad caput sepulchri, alter autem ad pedes. Hi Angeli mihi dixerunt: Anima, jam fecisti, quod tibi fuit mandatum, nunc vade in pace. Sed anima mea manebat immota, nèq; se poterat adigere, ad abeundum ex illo sacro loco, ac deferendum suum DEUM, quem ibi deposuerat. Ipsi autem me urgebant, ac tandem mihi dixerunt: Anima, abi, neq; sis pertinax, non conuenit enim te hîc diutiùs manere. Quapropter mei Domini Angeli, qui aderant, venerunt ad me, & abstraxerunt me inde, duxeruntq; eâ viâ, quâ tuleram Dominum in meis brachijs. Postquam modicum per illam viam fuisset progressa, non absq; desiderio mei DEI, quem reliqueram in sepulchro, habui obuium Dominum, resuscitatum & gloriosum. Statim ac illum mea anima vidit, ex impulsu magni amoris & gaudij prostrata ad ipsius pedes, osculabatur illos, atq; amplexabatur cum magna reuerentia & solatio suo. Dominus ipsam suscepit quàm benignissimè, & amantissimè, dicendo illi: Anima mea. Et imponendo suam sacram manum capiti ejus ac humero, di-

cebat ipsi: Deniq;, Anima mea, me deposuisti ex Cruce, & collocavisti in sepulchro, ferendo me in tuis brachijs, atq; nunc mihi obuiavisti resuscitato, & glorioso. Deinde dixit Divina Majestas illis sanctis Angelis: Accipite istam Animam, & ducite illam ad cœlestem Civitatem, ubi quiescat & recreetur aliquamdiu. Illi id statim fecerunt, duxeruntq; meam animam ad illum felicem locum, & constituerunt ipsam in conspectu Sanctissimæ Trinitatis, quam ille Dominus amanter excepit, posuitq; in suo sacro pectore & corde, atq; in illo suo Divino penitenti ei manifesta vit tam mirabilia, ut ea nec possit, nèq; sciat exprimere; etiâmq; tum, quando illa intelligebat, videbatur sibi ea ignorare.

Postquam ibi mea anima aliquamdiu mansisset, posuit illam Dominus in manibus Angelorum, qui ipsam prostraverunt in pavimento illius Cœli, & Majestas Christi JESU Domini Nostri, accipiens ad suam manum aspergillum, intingensq; illud mysticè in liquore, qui erat in pretioso vasculo, quod tenebat quidam Angelus, asperxit totam meam animam tribus vicibus, ex quo beneficio & misericordia, percepit ingentia bona, & applicationem altissimorum ipsius meritorum, quæ nobis obtinuit suâ morte Crucis, contulitq; mihi lumen, & cognitionem infiniti valoris mysteriorum vitæ, & passionis Christi JESU Domini Nostri, ac magnorum bonorum, quæ habemus in Divina ipsius Majestate. Mea anima obstupuit talia Domini opera, & fuit attonita, ignorando eatenus, quid significarent illa mysteria.

Interea ipsi Dominus manifestavit eorum significationem, dixitq;: Anima, tu à me petivisti ac petis instanter, ut prosperè succedat negotium, quod tibi commendaverunt. Ut igitur benè intelligeres, quid hac in re fiat, exhibui tibi mysteria, quæ spectavisti. Vidisti me in Cruce tam afflictum, & uno brachio pendulo: rogavi te, ut me resigeres à Cruce, meq; sepelires, ac tegeres meum sepulchrum lapide; ut tibi significarem, quòd in ista re committantur multa peccata, meq; gra-

viter

viter offendant, & quantum est in illis, denudò acerbè crucifigant frequentius, occidant, ac sepeliant. Qui verò hoc negotio distinentur, illudq; bono zelo examinant, etiamsi mihi sic velint auferre dolorem, meq; refigere à Cruce, nihilominus me vehementer affligunt, quod significat brachium refixum, sicut vidisti, cum ingenti dolore totius corporis: hinc enim sunt orta maxima peccata, quemadmodum tibi dixi, etiamsi id cessurum sit in bonum quorundam, ac salutem. Diabolus sub specie & prætextu bonorum finium, rerumq; valde necessariorum ac utilium, hæc damna intulit. Quando agnovi tuam charitatem, & dolorem, quem fentis ob hæc damna, quæ jam à me intellexeras, tantumque Fervorem, quo oras pro omni ea necessitate, valde me recreavisti & solata es. Atq; id erat, quod te rogaverim, dicendo: Anima, compatere

michi, depone me ex ista Cruce, & fer me ad sepulchrum: Sepeli me pro tua charitate, quæ carent qui me crucifigunt. Quæ omnia es exequuta cum magno dolore, & amore. Et hoc significat, quod me habueris obvium in gloria meæ Resurrectionis. Cætera verò omnia, quæ tibi contigerunt, quando me vidisti in Cruce, & voluisti statim quàm ardentissime complecti, ego autem tibi id prohibui, facta sunt, ut intelligeres, diceretq; omnibus, ut sciant, quòd animæ, quas specialiter amo, & reliquæ omnes, debeant esse adeò humiles, ut non attentent tam admiranda, nisi ego ipsas prius disponam, & vocem; aliàs enim errarent, si secus facerent. Hæc est, Anima, declaratio mysteriorum, quæ vidisti, & tibi acciderunt.

—s(*.*)s—

CAPUT XIII.

Quomodo Sancti, & præsertim Fundatores Religionum illam rogaverint, ut commendaret DEO Communitates ipsius commissas, & de nonnullis horrendis rebus, quæ illi quoad hoc evenerunt.



Sancti Cæli incole, Patroni quarundam Communitatum, quæ sunt in terra, præsertim Fundatores Religionum, videbant magnas gratias & favores, quos DEVS exhibebat Marinæ de Escobar, ac efficacem ipsius orationem, nec non, quibus necessitatibus propter eam mederetur. Et quando, DEO volente, illam visitabant, rogabant ipsam, ut succurreret ijs, qui ipsorum cura erant commissi, tum precibus, tum monitis, quæ illi suggererant.

§. I.

Quandam vice illam invisit Gloriosus Apostolus S. Petrus, dicendo ipsi: Veni,

rogaturus te, ut diligenter commendes DEO Sanctam Ecclesiam Catholicam, & Pontificem; qui tunc erat Clemens Octavus; indicando nobis hæc ratione curam, quam semper habet de Ecclesia, ac de Pontificibus Romanis, suis Successoribus. Quod ipsi magis manifestavit aliàs (anno 1600.) quando illam visitavit Sanctissima Virgo, stipata gloriosis Apostolis Sancto Petro, & Sancto Paulo: Qui, inquit, me rogabant, ut impetrarem à DEO, pro sede Apostolica, quandam gratiam temporalem, quæ concernebat ipsius ditionem, ac auctoritatem, & præcipuè Gloriosus Sanctus Petrus instantius id petebat. Audivi statim Beatissimam Virginem respondentem graviter: Est res digna consideratione, quia si id concedatur, patientur damnum patiens.

peres, & non proderit illis eorum iustitia, aut æquitas. Sancti, hoc responso accepto, quasi fuerunt persuasi, ut acquiescerent. Sed Virgo conversa ad me, affabiliter mihi dixit: Tibi autem, Amica, quid videtur? Ego erubui, quòd ita interrogarer, ac tandem respondi: Ut faveatur pauperibus. Post hoc abiverunt ad Cælum. Sanctus Apostolus Jacobus aliàs mihi dixit (anno 1603.) ut DEO commendarem Regnum Hispaniæ, cuius ipse esset Patronus, & Regem Philippum Tertium.

§. II.

Frequentius Sancti Fundatores Sacrum Religionum illam rogabant, ut commendaret DEO ipsorum Religiosos, ut apparuit in multis casibus hætenus recensitis, quibus adjungemus istum. Quodam die (in Decembri, anni 1622.) audiui solennem Musicam Angelorum, sicut, dum celebratur Festum in quopiam templo; & paulò post, vidi intrantes meum cubiculum plurimos Angelos, quos sequebantur Sancti Patriarchæ Religionum. Primus veniebat S. Dominicus, & S. Ignatius, tum S. Franciscus & S. Bernardus, postea S. Benedictus, & ultimus S. Augustinus. Postquam venerunt ad meum cubiculum, incepit loqui S. Dominicus loco omnium, cumq; ipse solus loqueretur, videbantur mihi loqui omnes, & dixit: Soror nostra, DEUS tibi det felicia festa, cum magno incremento suorum Divinorum donorum, sicut credo & spero, te illa habituram in Domino; & alia his similia. Ego respondi: Benedicte Sancte, ego tibi ea non precor, scio enim, quòd tu, ac tui sancti socij, ipsa habeatis felicissima, habiturique sitis æternum in Cælo cum DEO. Gratias ipsis egi, pro favore & charitate mihi exhibita, quam optimè scivi. Tum S. Dominicus tetigit manu, in pectore, Sanctum IGNATIUM, quasi illi dicens, ut me alloqueretur. Sanctus me est alloquutus quàm amantissimè, dixitq; mihi: Soror & Filia mea, commenda diligenter DEO meam Religionem; ut Divina Majestas illam conservet, ac augeat in suo san-

cto servitio. Ego respondi: Benedicte Sancte, tu id melius facies, qui frueris DEO in Cælo, quàm ego, quæ dego in hac miserabili vita. Tum Sanctus: Bene est, fac, quod à te peto, quia DEUS libentissimè audit preces suorum fervorum, viventium in mundo, & multum facit propter illos. Omnes reliqui Patriarchæ me salutaverunt; atq; idem petiverunt, pro suis Religionibus. Ego verò etiam illos rogavi, ut me juvarent, & alia quædam ab ijs petivi speciatim. Resumpsit sermonem Sanctus Dominicus, rogavitq; me, & imperavit mihi, ut commendarem DEO Sacram suam Religionem, ac illius augmentum & conservationem, nominatim autem, ut in Conventibus ac tempore Congregationum & Capitulorum, tantum habeatur præ oculis DEUS, absq; ullo respectu humano. Ego respondi: Pater Sancte, jam scis me esse filiam tuæ sacræ Religionis, eamq; à me ex animo amari in Domino. Faciam, quod jubes, promptè.

Rationem, ob quam dixit S. Pater noster IGNATIUS, à Sanctis Cæli incolis, peti preces fuorum, degentium in terra, ipsi magis declaravit aliàs, istà occasione. Cum enim ego, inquit ipsa, illum rogarem, peteret à DEO, ut concederet ipsius Societati quædam, quæ ego optabam, pro ejusdem majori emolumento, præfertim, ut loco nonnullorum Patrum extinctorum, in quodam exercitu Regis Philippi Secundi, illi daret alios, qui supplerent eorum defectum; Sanctus Pater mihi peramanter respondit: Pete id tu à DEO. Ego hoc admirans, dixi illi: Sancte Pater, tu apud DEUM, amando ipsum, & eo continuè fruendo, manes securus de illius gratia, ac sine periculo ejus perdendi, & mandas mihi miserabili, ac plenæ peccatis & fragilitatibus, atq; obnoxia periculis, quibus in hac vita sumus expositi, ut hoc postulem à Divina Majestate, quæ vix audeo comparere in Divino ipsius conspectu? Tu id melius obtinebis, si illud petiveris ac postulaveris ab ipso. Tunc Sanctus Pater noster IGNATIUS respondit: Tu id pete ab illo, & crede mihi, quòd sæpè amici DEI, quos ille habet hîc in terra, suâ charitate,

V v v

& sim-

& simplicitate, ac desiderio, quo cupiunt bonum proximorum, cum quibus agunt, impetrent à Divina Majestate tantum, aut amplius, quàm nos, qui sumus in Cœlo, eo modo, quo tu dicis. Hoc audito tacui, & feci, quod jubebar à Sancto Patre, credens ipsius dictis.

Ista veritas fundatur in tribus specialibus causis, quæ concurrunt in justis existentibus in terris, magis quàm in ijs, qui sunt in Cælo. Primò, quia frequenter actu patiuntur pro DEO graves tentationes vel dolores, aut persecutiones, & Divina Majestas dolens vicem ipsorum, quod affligantur, ut eos consoletur, exaudit ipsos & concedit illis, quod petunt pro alijs. Secundò, propter specialem charitatem, quam demonstrant in hac oratione: cum enim deberent orare pro se, quasi non aestimarent suas necessitates, instantèr intercedunt pro alienis. Tertio, quia multi ex ijs, pro quibus orant, ipsos concernunt & sunt eorum cura commissi, ac orant pro illis, acsi de re ipsorum ageretur, cum magno fervore ac dolore, atq; sicut DEVS plura patitur miracula per quosdam justos hic viventes, quàm per alios, qui sunt in Cælo, quemadmodum constat ex vita S. Bernardi, qui sanavit quendam terribilem energumenum, quem non sanavit S. Syrus; ita etiam aliquando exaudit peculiari affectu preces aliquorum justorum hic viventium, in quibus concurrunt dicta causa. Nilominus cum nobis non constet de eorum sanctitate tam certò, quàm de sanctitate Cœlitum, ita nobis est ad ipsos recurrendum, ut primum locum dæmus Beatis, sicut ipsa met quoq; faciebat, habens illos pro intercessoribus. Sed revertamur ad id, quod Sancti Patriarchæ ab ea petebant.

§. III.

AD hoc propositum referemus nonnullos horribiles casus, quos DEUS & Sancti Fundatores illi representaverunt, ut ipsam permoverent, ad orandum instantius. Postquam me, inquit, visitavisset Gloriosus S. Dominicus (anno 1616.) dedissetq; mihi quoddam mysticum Rosarium, nomine Sacratissimæ Virginis, sicut jam scri-

ptum est, (in libro 4. Cap. 34.) consedit prope me, ut diu mecum loqueretur, meq; solaretur in meis afflictionibus. Et ex improvviso adverti, quod ad latus ipsius, aliquantum retrò, assederit in alia sede, quidam Religiosus, qui mihi videbatur modò hunc, modò alium diversum habere vestitum, ita ut non potuerim bene intelligere cujus esset ordinis; & intuenti ipsius faciem, quamvis cum repugnantia, nolensq; ipsum agnoscere, ferè illum noscebam, quanvis id dissimularem. Habebat iste Religiosus Sacerdos vultum morosum & indignabundum, acsi vehementer irasceretur, & aliquid mali moliretur. Dum id viderem, eram afflictissima, & confugi ad DEUM more solito; Sed Beatus Sanctus Dominicus, videns meam turbationem, mihi dixit: Ne turberis, Soror, expecta modicum, volo enim tibi dicere, quid significet, quod tibi DEUS in hac visione ostendit. Scias hunc miserabilem, quem juxta me vides, esse religiosum, qui descivit à sua Religione & prima vocatione ad aliam, ac ad alium statum. Offendit Divinam Majestatem gravi peccato, propter quod secundum præsentem justitiam DEI est damnatus ad mortem æternam.

Audiens mea anima istum casum tam miserum, antequam Sanctus desisset loqui, recurri ad DEUM secundò, petura ab illo cum summa instantia, timore ac dolore interno, sanctissimum ipsius nomen, pro agnoscendis ejus veritatibus & assequenda illius voluntate in rebus omnibus. Hoc egit anima mea diutissimè, nolens iterum convertere oculos ad illud spectaculum, quod visum meum tantopere afflixerat. Verùm Dominus Majestatis blandè ac suaviter, sicut semper solet, fecit, ut denuò adverterem ad casum. Inveni Sanctum, sic ut illum reliqueram. Et quia expectabat, quàm amabilissimè & benignissimè, coniectis in me oculis, dixit: Soror, redijsti, & Dominus te misit, ut audias totum meum sermonem, faciasq; quod tibi dixerò. Jam tibi retuli miserandum statum istius creaturæ, quæ tibi fuit exhibitæ. Quod tibi nunc dico, & à te pe-

te peto, nomine DEI, ac Sanctissimæ ejus Matris, est, ut quàm instantissimè, & toto corde tuo ac anima petas à Divina Majestate salutem, pro ista creatura, quàm tibi hic ostendi, quia infinitè desidero, ut Dominus DEUS misereatur hujus animæ, quæ licet adeo sit perdita, me assumpsit pro advocato & intercessore suo apud Divinam Majestatem. Cùm mea anima audiret hos Sancti sermones, respondi humiliter, ac dixi: Benedicte Sancte, faciam, quod mihi præcipis, libenter: sed cùm te habeat advocatum & intercessorem hæc anima, quid illi potest deesse, & quid illi prodesse potest teruntiolus mearum miserabilium Orationum? Fac quod à te peto, (ajebat Sanctus) amore DEI: jam enim aliàs tibi dixi, quanti momenti sint preces fervorum DEI, qui vivunt in hoc exilio, pro impetranda à DEO misericordia, & eo, quod ab ipso petunt. Conjunge tuas orationes & preces meis, pro ista anima, quia erunt summi momenti, proderuntq; ipsi. Ego illas offero Benedicte Sancte (dixi) quàm libentissimè & promptissimè, in nomine DEI, atq; ut tibi obsequar.

Post paucos abhinc dies, quod ad hunc Religiosum attinet, mihi accidit, quod dicam. Vidi quodam die descendentem per aërem quandam pictam imaginem, quasi Christi Domini, etsi malè formatam. Ferebant illam ante se quidam, quos ego non videbam. Fui afflicta, quòd hoc viderem. Interrogavi meos Angelos, quid esset. Dixerunt mihi: Brevi scies. Deinde vidi venientem Christum Dominum circumdatum ab Angelis, qui ubi confedisset in quodam throno, mihi dixit: Quomodo oblita es orare, pro illa persona, quàm tibi dixi versari in periculo damnationis? Et dato signo ijs, qui latebant post imaginem, erantq; diaboli, dixit: Arripite illam; quasi diceret, ut me castigarent. Accurrerunt Angeli, & dixerunt: Domine, nos id faciemus. Sustulerunt manus ad me castigandam, quo fuit satisfactum. Domino, propter meam debilitatem. Petivit Divina Majestas necessaria pro scribendo, quæ ipsi attulerunt Angeli; & in-

cepit scribere. Intellexi quòd velle scribere damnationem illius personæ, & coepi quàm sollicitissimè illi dicere: Noli scribere, Domine, non est tibi id scribendum; tenebámq; illi brachium, ne scriberet. Tandem dixit Divina Majestas; cùm nolis, ut ego scribam, scribe tu. Ego dixi: Quid possum ego, Domine, scribere? & accipiens calamum Angelus meus Custos scripsit, quòd ego illi dictavi, eratq; hoc: Domine DEUS, obsecro te per tuum Filium Christum JESUM, qui præfens adest, & per pretiosissimum illius sanguinem ac merita, juva istam personam, ut salvetur. Quibus verbis statim subscripsi meum nomen. Hoc factò incipit Divina Majestas abire. Interrogavi Angelos, quare imago illius hominis similis fuerit Christo Domino? Dixerunt mihi: ideò, quòd esset Sacerdos; tales enim suo officio repræsentare Christum Dominum.

§. IV.

Aliud quiddam horribilius illi evenit, quod referam, quia habet circumstantias utilissimas. Manifestarunt illi DEVS aliquoties, quàm illi displiceant Religiosi ac Docti in Ecclesia, qui cùm magis teneantur præbere bonum exemplum, id non faciunt; quod ipsam vehementer affligebat, sicut significavit (in Julio, anni 1616.) in quadam charta, quam mihi dedit, his verbis:

Mea anima ardet zelo majoris profectus animarum, & majoris gloriæ Divinæ, ut mihi eo videatur cor absumi, atq; omnes defectus & errores personarum virtuosarum ac spiritualium, & consequenter hallucinationes ac errores in rebus aliqujus momenti, me intolerabiliter torqueant, præsertim, quòd ista videam & cognoscam, clarè illuminata à DEO, audiámq; continuo ipsius querelas, quæ mihi cor disrumpunt, & faciunt, ut interdum Divinæ Majestati dicam: Quid vis, Domine (miseram me!) à me hac in re fieri, quæ illam non possum emendare, neq; creaturæ sunt ad id dispositæ? Emenda tu id, qui potes. Sed respondit mihi Dominus aliquoties: Bene video, quod dicis; sed

sed volo, ut mihi compatiaris, atq; tuâ afflictione & oratione à me obtineas, per meam misericordiam remedium, pro hoc genere hominum. Noveris autem magna esse lucra, quæ diabolus potest referre (nisi mea misericordia ipsum quandoq; contineret, dum mihi videtur) ex similibus hallucinationibus ac erroribus, quos hæc personæ spirituales committunt, profectos & ortos ex ipsarum immortificatione: & cum occultè sint tenaces sui iudicij, neq; ità fundatæ, sicut ego vellem in humilitate ac sancto meo timore, non humiliter in hoc, quantum deberent, lumini, & gratijs, quas à me acceperunt, propterea proximæ sunt erroribus. Quamvis autem id non agant ex proposito, offenderent me tamen & affligerent, si possem aliquid pati. Omnes isti defectus me magnopere excruciant, uti & illud, quod propterea patiuntur ex personæ, quæ sic reguntur, quasq; DEUS imposuit istis miserabilibus humeris, ut eas mecum veluti circumferam, ac si essent progenitæ ex meo corde, quibus summè illarum bonum exopto.

Hæc fuit scheda, in qua satis declarat suum ferventem Zelum. In cuius rei confirmationem habuit istam horrendam visionem, similem illi, quam P. Frater Ferdinandus de Castilio refert in Annalibus sui Ordinis; quamvis hi Religiosi non fuerint ex ipso, sed ex alio; neq; necesse est illos nominare; cuius Ordinis S. Fundator frequenter illum rogabat, ut quam eximissimè commendaret DEO suos Religiosos.

Quadam vice, inquit, me dormientem excitavit Dominus, & statim postquam fuissèm expergefacta, mihi ostendit in quadam quasi ampla aula, circiter triginta Religiosos cujusdam Religionis, qui in ea aula hoc modo erat constituti. Vingtini ex ipsis stabant ad quandam mensam, quæ fuit alta instar altaris, & habebant tergum conversum ad januam aulae, ità ut stans apud januam non posset ipsorum vultum videre, atq; idcirco illos non potui agnoscere. Habebant pallia, quæ gestant dum egrediuntur è domo. Cæteri autem, qui mihi videbantur esse cir-

citer decem, sedebant in sedibus demissis ad aliam mensam, facie versâ ad januam, sed ità dejectis ac pendulis capitibus, adeoq; coopertis caputibus, ut similiter quodam modo non potuerim videre illorum vultum. Postquam autem ipsos vidissem, dixit mihi Dominus: Ecce hi sunt ex illis malis Religiosis, quos tibi aliquando dixi reperiri, quibus ego vehementer indignabar, eò quod, cum deberent esse Sal terræ, & suo exemplo, talentis, literis ac officijs præbere bonum exemplum alijs, eòsq; erudire, & multum adferre commodi, ac prodesse animabus, præsertim suæ Religioni, dederint malum exemplum suis superbij ac prætensionibus, & malâ vitâ. Isti, quos hîc vides, sunt ex ipsis, & sunt in Inferno propter id, quod tibi dixi. Cum autem ego illos viderem, & audirem, quod mihi Dominus dicebat, intelligeremq; à Divina Majestate, inveniri in ea Religione fortè quosdam, qui etiamnum taliter viverent, vehementissimè indolui, & orabam pro illis frequenter DEUM, ut Divina Majestas ipsos dignaretur liberare ex tantis malis ac peccatis, propter quæ versantur in tanto periculo suæ salutis.

Hanc revelationem volui referre, ut qui magis excellunt literis & munjs, quæ gerunt, agnoscant incumbentem sibi obligationem, præbendi melioris exempli, nec non majus periculum, quod incurruunt, ne peccant, propter defectum humilitatis, & magnam ambitionem. Neq; culpari debent literæ, quia si adsit humilitas, sunt bonum Ecclesie Catholice, & Religionum, conferuntq; ad magnam DEI Gloriam ac bonum animarum, & qui sunt docti ac humiles, multò sunt illustriores in Religionibus, subleantq; in Cælo, in perpetuas aternitates.

Post multos deinde dies, cum Marina oblita fuisset hujus necessitatis, & neglectisset pro illa omne, Sanctus Fundator istius Religionis ipsam invisit & questus est, propter istam illius oblivionem, exhortatusq; est illam, ut perseveraret orando, cum eadem sollicitudine, eò quod daretur periculum.

§. V.

DEniq; Angeli Custodes veniebant quandoq; rogaturi ipsam, ut DEO commendaret animas illis commissas. Et postquam ego illam rogavisssem, ut veniret pro duobus aut tribus personis, de quibus mihi dictum fuerat, & ego responderem, quod male rogerentur; cum id exequeretur, venit ipsi quiddam, in quo simul ostendit suam magnam honestatem, ac circumspectionem. Dum, ait, aliquando manē agerem cum DEO, attollens oculos animæ, vidi duos Sanctos Angelos, qui ad se invicem conversi videbantur conferre de rebus, quæ ipsos redderent folicitos & contristarent: Erant vestiti modo quodam inusitato, qualiter illos indutos nunquam videram, quia vestes ipsorum erant nigræ, quales gestant adolescentuli virtuosii, & specialiter collecti atq; compositi. Statim ac illos mea anima conspexit in ista specie, cum id ipsi esset novum, avertit ab ijs oculos, & recurrit ad DEUM, pro more. Postquam autem à Divina Majestate fuisset iussa, illos iterum aspicere, aspexit ipsos, adhuc tamen turbata, ac timore perculsa, quod eos videret in tali veste. Dixit ijs: Dicant Domini, quid jubent? quid volunt? quia ego ipsos non bene agnosco, sintne Angeli DEI, an non? Illi responderunt cum magna modestia, & sapienter atq; graviter, ac aspicientes se mutuò: Nos, Soror, sumus Angeli DEI, venimus, ut tecum nomine ipsius loquamur; audi, quod tibi dicere volumus. Etiamnum mea anima erat consternata, ac terrefacta eà novitate, quod illos videret in tali specie adolescentulorum, ideòq; ipsis respondi: Domini, quantumlibet sint Angeli DEI, ego non cogito cum illis loqui, neq; ipsos audire in hac specie. Illi verò responderunt valde mansuetè & modestè: Quid autem, Soror, dicemus Domino, qui nos ad te mittit? Domini, ajevam ego, dicant DEO, quod ego illos non noscam, quòdque si Divina Majestas aliquid vult, vel jubet, sim præstò, ut exequar sanctissimam ejus voluntatem: sed ut ipsos mittat, sicut solet, in alia specie & habitu, ut

illos agnoscam, possimq; audire ac alloqui: in hac enim specie non possum. Atq; sic abiverunt illi sancti Angeli, valedicentes mihi. Intra medium horæ quadrantem redierunt iidem sancti Angeli ad me ità vestiti ac adornati, sicut ipsos mihi ordinariè DEUS exhibet, & constituti in conspectu oculorum meæ animæ, mihi dixerunt: Soror nostra, nos sumus Angeli Custodes duarum animarum ex tribus, pro quibus oravisti DEUM, venimusq; ad te, rogaturi te, quàm possumus maxime, ut ores pro ipsis quàm diligentissimè Divinam Majestatem: significamus enim tibi, quod Divina Majestas decreverit illas graviter punire. Atq; ut indicarem tibi afflictionem ac dolorem, quem, si Angeli Custodes possent ullum sentire, nos haberemus, non solum propter peccata, quæ committunt animæ, quas custodimus, sed etiam propter mala ac molestias, quas ipsæ & earundem corpora patiuntur; ut tibi id indicarem, venimus ad te, eo modo & in ea veste, in qua nos antea vidisti, propter quod ob tuam modestiam & verecundiam fuisti turbata. Audiens id dici, ab illis sanctis Angelis, quos jam, ut tales agnovi, fui turbata, quod existimarem, mihi nunquam à DEO manifestari aliena peccata, quòdque, dicere, DEUM graviter puniturum aliquam animam, mihi videretur esse idem, ac significare, commissã ab ea fuisse gravia peccata: propter quam cogitationem ijs hoc ipsum respondi. Illi verò dixerunt: Soror nostra, nullum peccatum, licet sit exiguum, commissum contra Divinam Majestatem nostri magni DEI ac Domini, vocari potest exiguum, nisi comparatum cum alijs majoribus: & ista exigua, quæ vocatis venialia, non possunt committi ullo casu, neq; pro toto mundo, ac DEUS illa punit gravibus pœnis, quales sunt Purgatorij. Unde dum nos dicimus, quod DEUS velit punire istas animas graviter, non dicimus, quod commiserint magna peccata, neq; ut te id oporteat cogitare, sicut facis. Ora Soror, pro istis animabus DEUM, sunt enim constitutæ in gravi necessitate, & offer Divinæ Majestati ali-

ti aliquid pro ipsis: facies namq; rem gratissimam DEO. Ego illis promisi, me id facturam, & feci, atq; eâ nocte sum passa acerbos dolores, quos pro illis DEO obtuli. Deinde mihi incidit cogitatio, ut illos interrogarem, an iudicium mei Confessarij in isto casu fuerit conveniens ne-

cessitati harum animarum, placueritq; DEO. Responderunt mihi, iteratò: Ita, ita; & statim, mihi valedicentes, abiverunt. Ego verò sollicitabar de commendandis DEO illis animabus. Benedic-
tus sit DEUS in æternum!

→§(*.*)§←

CAPUT XIV.

Quomodo ei Dominus & Sancti Fundatores Religionum dixerint, non acceptanda ipsius monita, ut ne concideret animo, ac de indignatione Divina, adversus eos, qui illa non acceptabant.

§. I.



Quia Venemibilis Marina accipiebat à DEO multa monita & consilia, quae daret proximis, quibuscum agebat; ne cogitaret, omnia sibi successum ad votum, & omnes acceptaturos ipsius monita, ac profecturos ex ejus consilijs, sed fore etiam nonnullos, qui ea essent vili pensuri, voluit illam Dominus de eo pramonere, cum ex se ipsa esset tam meticulousa. Quodam die, inquit, dum vacarem meae collectioni, dixit mihi Divina Majestas: Adverte, moneo te, interdum te futuram gratam, ubi exequuta fueris hoc munus tibi à me injunctum; aliàs verò etiam non magnopere placituram, & inventuram obstaculum ac difficultatem, in quibusdam. Audivi, quod mihi dixerat, ac filii. Ut imbecillis autem & muliercula, sensi id modicum, quia nesciebam quid esset futurum, quidue essem passura, quamvis iste sensus fuerit exiguus, quia confidebam in Divina Majestate, me ab illa in omnibus adjuvandam.

Id aliquoties experientiâ comperit, praesertim quando jubentibus Sanctis Fundatoribus Religionum dabat (ut est dictum) quaedam monita ipsorum Religiosis: licet enim multi illa plurimi fecerint, & omnia, quae

ipsa ijs suadebat; propter suas tamen rationes ea non acceptabant, neq; inducebant animum ad omittendum, quod ipsis illorum prudentia & ratio dictabat: quia forsasse sibi non persuadebant, DEUM, vel Sanctum Fundatorem sui Ordinis, loqui per illam feminam. Sumpta igitur hinc occasione, duo Sancti Patriarcha, S. Dominicus, & Sanctus Ignatius, dederunt illi quadam monita, ad propositum, de quo agimus, pertinentia, plenâ mirabili doctrinâ, ut propterea mihi videantur hic referenda.

§. II.

DUm, inquit, agerem quodam die cum DEO, in mea collectione, sustuli oculos animæ, ac vidi, adesse Subcratissimam Virginem Dominam nostrâ, & Gloriosum Sanctum Dominicum, atq; intuita sum ipsos cum magno solatio, aspiciens illos visu intellectuali animæ, qui in me est clarior & acutior visu oculorum corporeorum. Beatus Sanctus Dominicus colloquebatur cum ea magna Domina, quasi secretè, ac de rebus gravibus & magni momenti, concernentibus suam Religionem. Quia verò ego inceperam cum quibusdam ex illa conversari, concepti desiderium sciendi, an sermo esset de quæpiam eorum quibuscum egeram, & intellexi eos colloqui de quadam epistola, quam ego scripseram ad Patrem Provinciam

cialem Provinciae Hispaniae: Atque Sanctus Patriarcha ostendebat, sibi aliquomodo displicere, quod non fuisset acceptata, sicut ipse voluisset; quae de re conqueretur Beatissimae Virgini, quamvis ita secretae, ac si id vellet dissimulare, ne ego affligerer, sicut soleo affligi, propter meam malam naturam. Quocirca me converti ad Sanctum, & dixi illi: Metuebam equidem id, benedictae Sanctae, & propterea ita repugnabam, idque distuli, donec non possem aliter facere, ne me opponerem voluntati DEI, & debitae ipsi obedientiae. Verum non multum consternor, simplicem & rudem mulierculam, qualis sum ego, dum debet alloqui & monere personas Religiosas sapientes & graves, quamvis nomine DEI, ac Tuo, non audiri, neque ei fidem ab illis adhiberi, cum hoc sit aliquid insolitum, & extraordinarium. Gloriosus Sanctus, pro sua caelesti sapientia, ut me solaretur, mihi dixit: Ne affligaris, nec mireris id, quod tibi contigit, quod enim significavisti, non fuit tam male acceptum, quam tibi videretur: quod vero illud neglexerint, non fecerunt id ex contemptu, sed tacuerunt, nullo praebito signo, malene id, an bene accepterint, quia maluerunt insistere dictaminibus suae scientiae ac iudicij, quam extraordinarijs monitis. Praeterquam quod, ubi videris, vel existimaveris, ea, quae dicis nomine DEI & Sanctorum, non ita acceptari, sicut tu velles, te non oporteat idcirco mirari, neque metuere, aut concidere animo, quasi non promoveas inspirationem DEI, sed nec affligi. Nam sciendum tibi est, id fuisse valde ordinarium & usitatum in mundo: atque de me tibi dico, me, dum concionarer ac docerem mundum, iussu DEI, & ex vehementissima ipsius inspiratione, atque ardenti desiderio boni animarum, non semper fuisse prompte auditum, imo aliquando spreto, & in hoc negotio sustinuisse multas molestias, afflictiones & persecutiones: ideoque omnes, quos DEUS hac via duxerit, se debent praeparare ad patiendum, & esse bono animo, multumque confidere DEO, ipso enim adjuvante bene illis coepa succedent. *Audivi ego*

miserabilis dicta huius Sancti tam caelestia, adeoque plena sapientia, ut nulla lingua illa valeat edisserere. Quamvis autem ex ijs magnum ceperim solatium, exposui ipsi, quid mihi experirer esse difficile, dicendo: Beate & Sancte Pater, credo certo, & absque dubio, verum esse, quidquid dicis, & quantum in me est, vellem exequi, quod mihi mandas, verum quod me timidam in hoc negotio reddit, non est molestia, sed quia video mulierculam simplicem, ac imbecillum, qualis sum ego, cujus officium est tacere ac discere, & cujus locus esse debet angulus ac solitudo, prodire ad loquendum, cum gravibus & sapientibus viris, de rebus peculiaribus, pro illorum instructione, ad gloriam DEI, & bonam directionem, ac profectum animarum; & quia adverto me sic transgredi limites viae communis & ordinariae ceterorum. Tu autem, utpote Vir Sanctus, sapiens, ac strenuus, non potuisti habere huiusmodi verecundiam, ac proinde multum differt negotium meum a tuo; quod enim faciebas, erat tuum officium, & optime tibi omni ex parte conveniebat. Licet vero propterea patereris istas molestias, non accidebat tibi id tam grave, quia persecutiones toleratae pro DEO, non solum non sunt molestae, ijs, qui ipsum amant, sed dulces ac suavess, & onus valde leve, totque bonis exornatum, ut non solum sit suave fortibus, qualis tu es, sed etiam interdum debilibus & miserabilibus, qualis sum ego. *Audivit Sanctus, quod dicebam, ac respondit, pro illa sua Divina sapientia, quae animam replet pace & solatio, ac lumine caelesti: Audi, Amica, & attende ad hanc veritatem, quam tibi aperiam. Bene scis, quod nostro magno DEO ac Domino, ipsiusque infinitae potentiae ac bonitati, sapientiae, & altis ac incomprehensibilibus iudicij, nihil sit, neque esse possit difficile, aut impossibile, imo omnia possit ac faciat, sicut ipsi magis placet, estque sancta eius voluntas. Unde illi nulla via est extraordinaria, quemadmodum tu dicis, imo omnes sunt planissimae ac ordinariae, & per omnes ducit, ac potest ducere animas, quam suavissimae & securissimae, ita ut ipsi*

nemo

nemo id possit prohibere, vel impedire: atq; in nomine ipsius, ac virtute Divinâ (quam dat, cui vult, nulli irrogans injuriam, tanquam Dominus absolutus suorum bonorum, divitiarum ac thesaurorum) adjutus, potest tam multum aut ampliùs, quantum Divinæ Majestati placet concedere, debilis, quàm fortis, intelligitq; tantum, vel ampliùs, rudis & simplex, quàm sapiens & Magister: atq; hæc omnia pari modo se habent respectu ipsius potentiae ac magnificentiae: & quocunq; instrumento debili, aut forti, potest perficere laborem ac opus, quod ipsi libet, quodq; vult. Cùm igitur ita se res habeat, tunc; intelligas istam veritatem, quam tibi pando, non est, quare cures, quod tibi dicis, adeò accidere difficile, neq; ut animo concidas aut tergiverferis, quin prosequaris hoc negotium, & magnanimitè, atq; confidendo in DEO, obsecundes sanctæ ipsius inspirationi in eo, quod scis esse conforme Divinæ ejus voluntati. Audivi ego miserabilis ea, quæ mihi Sanctus dixerat, & admirans sapientiam ac bonitatem, quam in verbis suis demonstrabat, tacui, nesciens quid illi ampliùs deberem respondere. Tantum amabat vehementissimè mea anima istum gloriosum Sanctum, plenum ardentissimâ charitate & amore DEI, ac proximorum. His omnibus præsens aderat Sacratissima Virgo, nullo dicto verbo, toto eo tempore, attentè audiens verba, quæ mihi Sanctus dicebat, & ego ipsi respondebam: deinde verò ad me conversa, peramanter mihi dixit: Quomodo nunc es constituta, Amica? Nonne jam es recreata, & nonne animæ tuæ his Sancti verbis est satis factum, quæ pro tua indigentia tibi dixit Beatus Dominicus? Et cùm ego respondissem, ita prorsus esse, dixit mihi, se mihi præstituram magnum favorem, pro majore meo solatio, quod fecit attollendo pallium, & monstrando mihi suum superbenedictum Filium.

Modus, quo ultima gratia ipsi fuit exhibita, est relatæ in capite undecimo libri secundi.

§. III.

Altud admirabile monitum ipsi dedit S. Pater noster IGNATIUS, postquam illam misisset, significatum aliquid suo nomine, Patri Provinciali hujus Provincie Castellanae, de re quadam concernente ejus regimè; ipsa verò id facere tergiversaretur, eò quòd esset femina, non habens animum alloquendi, viros adeò graves, de ejusmodi rebus, timensq; se nihil profecturam. Gloriosus Sanctus (inquit ipsa) mihi respondit, modo quoddam sapientis, sanctæ, ac discretæ reprehensionis, quæ non turbat animam, nec illam affligit, sed potiùs humiliatam & pudefactam, simul etiam animat, solatur, & convincit, ut exequatur, quod illi mandatur. Sic autem me est alloquutus: Sive profit, sive non profit, fac quod ego tibi dico, & mando: Nunquamne fortè propter tuam pusillanimitatem attentabis majora, sicut non pridem audivisti? (hoc mihi Sanctus Pater IGNATIUS dixit ideò, quòd in re simili mihi dicta fuerint à S. Teresa à JESU, quasi eadem verba) tum prosecutus est sermonem dicendo: Nonne scis, tibi incumbere, ut obedienter facias, quod juberis? Fractus autem & utilitas operis pendeat à DEO? Nunquid tu fortè, quæ tantam repugnantiam ostendisti in eo, quod tibi commisi, quæris, aut vis tuum solatium & gustum, utq; non aliter res eveniant? hoc nullâ ratione debes velle, sed solum gloriam DEI. Habe animum, ac esto fortis, & confide in DEO, atq; fac, quod intelligis, scisq; certò, ipsum velle; fructum verò operis committe Divinæ Majestati, sicut tibi dixi, & sufficiat tibi (si non potes plus facere) obedire Domino DEO ac Sanctis ipsius, qui tibi aliquid inspirant, & præcipiunt, ejus nomine. Atq; ne propterea contristeris, velim scias, fuisse etiam Sanctos, quorum munus erat, docere & concionari, qui in hoc multum laboraverunt, & quosdam non retulisse magnum fructum, sed exiguum respectu sui magni laboris, ac boni desiderij. Fac modo, quod tibi dico, ego enim bene omnia novi,

§. III.

novi, quæ mihi ea de re dixisti, ac potes dicere.

§. IV.

Nihilominus DEUS, & ipsius Sancti, etiam ostendebant, se offendi, & agere ferre, quod non acceptarentur eorum monita. Quâdam vice, ait illa, dum essem collecta, vidi in spiritu, ingredientem, per mei cubiculi portam, Puerulum, in ætate viginti mensium, formosissimum, cujus capilli erant instar aureorum filorum: bacularabat Crucem, multò majorem suo sacro corpusculo; veniebat valde afflictus & fatigatus, dicebatq; mihi: Marina, aufer à me istam Crucem, quia venio vehementer afflictus & fatigatus. Comitabantur ipsum multi sancti Angeli. Et agnovi statim, per speciale lumen, illum Puerulum esse Christum Dominum. Fui magnopere afflictâ, videns ipsum in ea specie, & incepti illi dicere verba tenera: Dilecte meæ animæ, & mi Domine, quis te tantopere afflixit? & alia hujusmodi. Optabam illi auferre Crucem, & non poteram extendere manus ad id peragendum. Dominus autem iteratò dicebat: Marina, aufer à me istam Crucem, quia me affligit: & ego rursùm illum interrogabam, quare esset itâ afflictus. Ipse vero mihi non aperiebat causam. Accesserunt ad Divinam Majestatem isti mei Domini, & unus ex minoribus abstulit Crucem eidem Majestati, defixitq; eam humi, quæ altitudine adæquabat ipsius staturam, & applicuit illam sibi. Puerulus autem venit ad me, & acclinavit se ad lectum, posuitq; suum sacrum caput juxta me, supra cervical, semper mihi significando suam lassitudinem ac afflictionem. Fui non nihil mihi erepta, & quando ad me redij, conspexi illum Puerulum in brachijs suæ Sanctissimæ Matris, extra meum cubiculum, ita tamen, ut ipsum viderem ac audirem. Querebatur Puerulus suæ Matri, quod esset lassus & afflictus. Mater illi blandiebatur, dissuaviabat ipsum, sibiq; admovebat, & interrogabat, cur nam esset

afflictus. Dependebant illi pedes, quos vidi indutos suis calceolis, & Puerulus erat vestitus togulâ cœruleâ. Tandem Puerulus exposuit causam suæ afflictionis Sanctissimæ Matri; & erat ea; quod Divina ipsius Majestas manifestaverit nonnullis animabus, quas ad id invenerat dispositas, quasdam gratias & misericordias, mihi, suæ famulæ, præstitas pro earundem bono, atq; illæ inde profecerint; nunc autem, propter suam socordiam, incuriam, ac tepiditatem, non proficiant, imò itâ pigrescant, ut ipsum adegerint ad illas propterea puniendas. Tum ego dixi: Mi Domine, & dilecte meæ animæ, si itâ reseres habet, quomodo ego tibi possum auferre istam Crucem? Omnino potes (respondit Dominus) monendo illas de ipsarum incuria, & socordia; fortè enim resipiscant.

Aliâ occasione (in Julio anni 1615.) quando nonnullæ personæ parvi fecerunt quiddam, quod illis dixeram, ex Divina revelatione, vidi ante me extensum in terra Christum Dominum, ad eum modum, quo jacuerat depositus ex Cruce, aderatq; Sanctissima ipsius Mater, & aliæ devotæ mulieres. Paulò post autem venerunt quidam venerabiles Viri, qui Sanctissimum corpus tulerunt ad sepulchrum, quod erat aliquantum remotum. Ego lugebam, videns Dominum in ea specie: & cùm considerarem, quomodo illi penderent caput ac brachia, sicut usu venit in corpore mortui, ac stupere, propterea quod ignorarem, quem in finem mihi Dominus taliter compareret, dixit mihi Divina Majestas: Scisne quid hoc significet? Taliter me tractant, quantum est in ipsis, illi, qui non faciunt, quod ego volo, & jubeo.


§. V.

Aliàs, dum essem in meo cubiculo, vidi venientes plurimos Angelos, alijs sequentibus alios, & unum præcedentem cum Cruce: Post omnes ibat Christus Dominus, quo conspecto, vidi etiam totam Sanctissimam Trinitatem, sicut consuevi.

W w w

fuevi. Progreſſa eſt Divina Majeſtas, & collocavit ſe quaſi ad caput mei lecti, ita ut bene à me videretur, ſed quodammo- do obliquè: Sedebat autem tanquam in Throno Regio. Derepente vidi, ab Angelis adduci duas perſonas, quas ego bene novi, judicandas à Domino, qui magnâ gravitate & authoritate illas interrogavit: Dicite, quid habuiſtis cauſæ, ut ita ſuſci- peretis, quod vobis, meo nomine, dictum eſt? quaſi ab illis exigeret rationem, quare tam parum æſtimaverint quandam rem, quæ juſſu DEI iſtis fuerat dicta. Non aperuit mihi Dominus ullum grave pec- catum illarum perſonarum, quia id non ſolet facere ipſius Majeſtas, ſed ſolum, ſe- iſs eſſe offeſum. Utraq; obmutuit, & una fuit quaſi extra ſe rapta; altera verò quaquaverſum aſpiciebat, cum inquietu- dine, ac deniq; neutra quidquam respon- dit. Dominus autem ſubitò præcepit An- gelis: Abripite ipſos eò: duxeruntq; illos quaſi ad quendam Angulum, confuſos & pudefactos. Poſtea me etiam duxerunt ad iudicium, atq; cum comparuiſſem co-

ram Domino, dixit mihi, quaſi me exami- nando. Quam ob cauſam reticuiſti quan- dam rem, quam te juſſi dicere? Ego at- tuli rationem, quam habueram, mei ſilen- tij, dicendo: Eram prompta & parata, ad omnia, ut adimplerem tuam ſanctam vo- luntatem, ſed non inveneram diſpoſiti- onem ad id dicendum. Dominus acce- ptavit meam excuſationem: nihilominus & me juſſit abduci: ac tum Dominus diſ- ceſſit, ſicut advenerat. Ego nunquam illum perdiſi ex oculis, donec Divina ejus Majeſtas perveniſſet ad Cælum, ubi, poſt- quam conſediſſet in quodam throno, mandavit, ut duo Angeli promulgarent quoddam edictum, in quo jubebantur An- geli Cuſtodes fidelium eſſe parati, ac diſ- ponere homines: quo indicabatur, inſi- gendam illis aliquam penam, me autem juſſit tum filere, donec mihi aliud præci- peretur.



CAPUT XV.

De ejus charitate, quâ rogabat Sanctos Angelos ſu- os contubernales, ut inviſerent ac juvarent infirmos, & conſtitutos in ne- ceſſitatibus, quamvis ipſamet iſs opus haberet, quod illi repen- dit DEUS favore admirabiliſſimo.



Tanta erat commiſeratio, quâ Venerabilis Marina vices dolebat infirmorum, & conſtitutorum in neceſ- ſitatibus, qui ſe commen- dabant ipſius precibus, ut eſſet parata, cavere ſocietate Sanctorum An- gelorum, qui illi aſſiſtebant, etiamſi ipſa illis indigeret, ut ſe conſerrent ad eos conſolandos, ac juvandos, id quod ab ipſis interdum pe- tebat, quamvis non abſq; Divina inſpira- tione; atq; ſi ſubinde tergi verſabantur, quod à DEO non haberent facultatem id

faciendi, ipſa illam impetrabat à Divina Majeſtate, ac tum quam libentiſſime ibant modo unus, modo etiam duo. Et videbat ex ſuo lecto frequenter in ſpiritu quòs per- gerent, quid egerent, ac dicerent, quod etiam ipſimet, quando revertebantur, ei re- ferebant. Solebant autem redire cum qua- dam ſudore in facie, ut ſignificarent mole- ſtiam ac difficultatem ſui peracti certami- nis, jam ob luctam habitam cum diabolo, jam ob naturam refractariam perſonæ, qua cum egerant, aut propter negotij gravitatem.

§. I.

ALiquando, ait, dixi Sancto Angelo minori, uni ex quatuor. Mi Domine, vultne inuisere domum talis servi DEI, qui mihi præstitit quoddam opus charitatis, atq; ut puto, est constitutus in necessitate? Postquam hoc dixissem, abivit in momento, & vidi ipsum in domo illius personæ, ad januam cubiculi, in quo dormiebat, quæ intrinsecus erat clausa. Hora quartâ matutinâ Sanctus Angelus petiit, aperiri sibi januam; nemo autem illi respondit: petiit secundo & tertio, ac dixit: In nomine DEI tibi præcipio, ut aperias. Tunc fuit aperta janua. Stabat autem intus quidam diabolus, qui illam tenuerat clausam: Sanctus Angelus voluit ingredi, & posuit pedem ad limen januæ. Sed diabolus illum impedivit ab ingressu, & occlusit januam in ipsius conspectu. Rursum Sanctus Angelus postulavit aditum semel iterumq; nec illi fuit responsum. Postulavit tertio, dicendo: In nomine DEI tibi præcipio, ut aperias: statimq; aperuit ostium diabolus. Tum Angelus, usus suâ potestate, intravit, & diabolus aufugit ad angulum, vehementer confusus: gerebat speciem lacerrimi, infirmi, pallidi, tumidi, ac timidissimi mendici; taliter ibi latuit. Angelus, non habitâ ipsius ratione, nec cum aspiciendo, accessit ad lectum illius personæ, quæ dormiebat, & ad caput lecti habebat assistentem Angelum suum Custodem. Consalutaverunt se ij duo Angeli DEI, & Custos ejus hominis dixit: Sancte Angele DEI, bene veneris, quia verè opus erat tuo auxilio. Nam iste diabolus vehementer in somno tentat hanc DEI creaturam. Sanctus Angelus, meus Dominus, incepit excitare dormientem, dicendo: Creatura DEI expurgare & confortare. Dominus tibi det suam gratiam, juvet te, corroboret, atq; confortet. Et ecce ille homo incepit se modicum commovere; verùm non evigilavit, imò de novo obdormivit. Angelus Custos rogavit Sanctum Angelum, meum Dominum,

ut proferret instrumenta, quibus solet fugare diabolos, & expelleret illum, qui erat in angulo, ac malis illusionibus molestabat in somno eam creaturam. Sanctus Angelus exprompsit quoddam vexillulum rubrum, affixum baculo aureo, in cujus summitate erat Crux, & incepit illud quaversum gyrare supra dormientem, quasi ipsi benediceret, unâq; aliquid abiabigeret. Tunc ille vir evigilavit ex profundo somno, cum magno fervore, repellens à se illusiones diabolicas, eliciendo actus contritionis, & contrarios tentationi. Hoc factò Sanctus Angelus meus Dominus ivit ad angulum, in quo erat diabolus, ac terram pede feriens, atq; etiam suo aureo baculo, protulit funiculum, & strinxit collum diaboli, quasi canem venaticum, porrexitq; extremitatem funiculi alteri Sancto Angelo parvo, qui aderat indutus veste candidâ, ut ipsum inde educeret. Iste illum extraxit, mediâ ex parte violentè raptatum, duxitq; per quandam ambitum & atrium, ac præcipitavit. Post hoc ille Angelus rediit ad conclave. His autem omnibus peractis Sanctus Angelus, meus Dominus, valedixit ijs duobus Sanctis Angelis, venitq; ad meum cubiculum.

§. II.

ALiâ vice, cùm ægrotaret quidam Religiosus, qui se bene impendebat ministerijs, pertinentibus ad juvandas animas, cum multarum fructu, desideravi vehementer ipsius sanitatem, & petivi illam à DEO, ex peculiari ejus inspiratione, ideòq; nullam addidi conditionem. Volens me Dominus probare, incussit mihi aliquem timorem, quòd esset moriturus, unde ego ex impetu ejusdem inspirationis, dixi: Hoc non, Domine, ne tua Majestas id velit facere, neq; enim itâ fieri oportet. Non me redarguit Dominus, propter illam audaciam, quia oriebat ex ipsius Divina inspiratione, imò admirabili modo suæ infinitæ bonitatis & sapientiæ, quâ solet excipere, quod cum fer-

W w z

vore

vore ac spiritu dicitur, me audiebat, atq; confirmans me in speranda sanitate infirmi, mihi dicebat: Bene est, bene est. Ego autem assumpto inde novo animo, dixi illi: Cùm nobis, Domine, præstes istam gratiam, præsta nobis & aliam. Bene vides istum Religiosum, servum tuum, pati in sua infirmitate dolores & afflictiones, esseq; interdum solum, præsertim noctu, ego hic habeo istos quatuor Angelos, quos mihi dignatus es dare, ut me adjuvent, mihiq; assistant; si tibi placet, mittamus isti infirmo unum, vel duos ex ipsis, ut illum juvent, eiq; adsint, in ipsius solitudine & afflictione. Respondit Dominus: Et quomodo id vis facere? atq;, ut pergant duo? Ego dixi: Ita Domine: verùm revolvens animo modum, quo mihi id à Domino fuerat dictum, iterum dixi: Domine, duos vel unum, sicut Tu volueris, sed per breve tempus sint duo, unus ex *majoribus*, alter ex *minoribus*. Tum dixit Dominus: Sit ità, licet, adverte tamen, quòd sensura sis ipsorum absentiam, ideo bene id expende. Ego propter desiderium juvandi illius infirmi, dixi: Non refert, Domine, etsi illis indigeam, modò non in re necessaria, ad tuam gloriam, & obsequium tuum. Dominus respondit: Fiant igitur feliciter. Et subito abiverunt duo Angeli, profectiq; sunt ad illum infirmum, qui vehementer gravabatur à suo morbo, ac derepente melius habuit, sicut deinde fuit rescitum, computato tempore, quo cœperat melius habere. Ego interim fui valde desolata, & quodammodo derelicta, per triduum, quo Angeli fuerunt apud infirmum, etiamsi mecum manserint reliqui duo, atq; intra viginti quatuor horas invaserunt me dolores vehementissimi, & acerrimi, qui augebantur, & me vehementer excruciabant. Dominus videns, quòd me privavisset societate duorum Angelorum, ut gratificarer infirmo afflicto, visitavit me, contulitq; mihi insolitam quandam gratiam: quia intuens me quàm benignissimè, mihi dixit: Afflicta es, Amica, & indiges solatio. Ego te nunc volo aliquò ducere; veni mecum; ubi modicùm quiescès, & respirabis ac refrigerabitur, mitigabiturq; tuus ardor, & sitis,

quam pateris, atq; in transitu divertes ad locum, in quo manent tui fratres & socij duo Angeli, quos misi ad infirmum, videbisq; illos, & si volueris, comitabuntur te, quia jam peregerunt ibi officium, cuius gratià abiverunt. Audivi, quòd mihi dixit Dominus, cum magno solatio, sed summe pudefacta, quòd mihi præstaretur tanta gratia, & respondi ipsi, me acceptare favorem, quem mihi exhiberet, ducendo me secum, quamvis illo essem indigna: quòd si tamen ipsi placeret, cupere me, ut duo Angeli manerent apud infirmum, usq; ad diem sequentem; dixitq; Dominus: Sit ità. Et præcepit alijs duobus meis Angelis præsentibus, ut me ad se adducerent. Postquam autem constitissem ad illius latus, aliquantum post ipsum, Dominus inde discessit, stipatus innumeris Angelis, illum sequentibus, eidemq; inservientibus, me quoq; abeunte cum Divina Majestate, per viam quandam regiam, luminosam & spatiosam, quæ recreabat aspectum meæ animæ. Pertransivimus locum, in quo erant duo Sancti Angeli apud infirmum, vidi illos, non tamen sum ipsos alloquta: sic enim fieri voluit Dominus. Pervenimus ad quendam magnum & pulchrum campum, floridissimum, plenum gratiosis fontibus, ut videretur esse paradysus terrestris. Ex una ipsius parte transibat limpidissimus & vastus fluvius, cuius litus erat plenum umbris arborum, floribus & aviculis, suaviter & admirabiliter canentibus. Atq; cùm eò venissemus, protendit Dominus suam Sacratissimam manum, modicùm retrorsum, & arripuit me in brachio, aliquantum supra manum, apprehendens eo modo magis illam meam vestem, quàm eram induta, quàm brachium, dixitq; mihi: Accede, aspice hunc fontem, & istum fluvium, ac deinde te ducam, ut videas reliqua omnia: & circumducens me Divina Majestas hâc ratione, per totum illum campum, ostendebat mihi fontes, arbores, flores, ac umbras, & ego sentiebam sublevari ac refocillari meam animam. Verumtamen tantus erat meus stupor, & admiratio, meus pudor, confusio & solatium, ac alia nescio qualia plura bona, quæ mea anima percipiebat

ex illa tanta misericordia, quam mihi præstabat Dominus, ducendo me eo modo per illud viridarium, ut quodammodo non animadverterem ad ea, quæ mihi monstrabat, singillatim, ideòq; non possem dicere, quid ibi fuerit, sed generatim, quòd illum viderim.

Cùm essem in medio illius campi, qui erat plenus Angelis, incepit; DEO disponente, descendere ex Cælo, instar pluvie, nitidissima & pulcherrima nix, instar minorum floccorum, nonnihil densorum, quales decidere solent, dum ningit, descendebant autem cum svavi ac admirabili ventulo, donec pervenirent ad terram, & postquam illam attigissent, elevavit se Dominus, ducens me secum eo modo, quo me tenebat: dum autè paulatim ascenderet cum magna Majestate, per illam cælestem pluviam, ego illum non videbam, etsi sentirem, me ab ipso duci: quia illa cælestis nix mihi illum obregebat: sed neq; videbam meipsam; ideo procedebam vehementer admirans, considerans, & cogitans in intimo animæ meæ, quale mysterium id esset. Dominus, qui intellexit meam cogitationem, illuminavit me, ut intelligerem quid esset, ac intellexi, esse innumeros Angelos, descendentes ex Cælo ad comitandum Dominum, in illo ipsius ascensu mystico: descendisse verò illos in specie floccorum nivis, ut obtegerent illud tantum mysterium, propter reverentiam ipsi debitam, & quia mea anima non erat capax videndæ clarè illius

tantæ gratiæ, quam ipsius Dominus ei præstabat, elevando illam prædicto modo ad cælestem Jerosolymam. Ascendit hac ratione Dominus, donec perveniret ad suum Regium thronum. Postquam ad illum pervenisset, constituit me in mystico arcano suæ Magnitudinis, Potentiæ, Majestatis, & Essentiæ Divinæ, ita, ut quasi fuerim perdita, & submersa in illo Esse DEI, ac Divinæ caliginis mihi ipsi erepta, dum intelligerem tam admiranda, & ineffabilia, ut ea nesciam explicare, sicut aliàs dixi. Mansi ita aliquamdiu, & subito fui extracta, quasi ad littus illius Oceani bonorum, ubi vidi Majestatem Christi Domini, qui mihi amantissimè dixit: Dic, age, Amica, nonne modo es recreata, & confortata? Ego, abijciens me ad pedes Domini, tacui, quia nesciebam ullum verbum respondere. Dominus autem tangens me suâ manû, mihi dixit: Age, Amica, surge: adsunt enim tui fratres, deducturi te ad tuam domum, unde te eduximus, ut te confortarem, & operarer mysteria, quæ vidisti. Tum animadversâ voluntate DEI, resignavi me in ipsius manus, etiamsi magnopere sentirem abitum. Et statim advenerunt duo Sancti Angeli, meq; elevaverunt, & post acceptam à DEO benedictionem, me reduxerunt ad meum angulum.



W W W 3

CAPUT

CAPUT XVI.

Quomodo illi DEUS subito solitus fuerit rependere, opera misericordiae corporalia, quae exhibebat pauperibus, & infirmis, ut quosdam miraculose sanaret.



*C*um Marina de Escobar fuerit inops, non poterat multum pauperibus gratificari elemosinis corporalibus: modicum tamen illud, quod elargebatur, plurimi fidebat, & rependebatur ipsi à DEO, propter magnam charitatem, & benignitatem, ex qua procedebat illa beneficentia.

§. I.

Laborabat, inquit, in domo quidam pauper homo, effodiendo terram ex quadam area, dictumque mihi fuit, ipsum incedere lacerrimum. Misera sum ipsius inopia, ut potui, & decumbens in lecto designavi modum, quo ex quodam tapeete ipsi excinderent lacernam, & confunderent meae sociæ, quam illi dederunt. Paulo post venerunt mei duo Angeli ferentes vestem splendidissimam, dixeruntque mihi: Accipe, Soror, hanc vestem, quam tibi mittit Dominus. Ego vehementer reluctabar illam suscipere, sicut consuevi agere in similibus, Angelus autem meus Custos mihi dicebat, ut ipsam acceptarem. Animadverti, quando illam contemplantur, ea, quae resplendebant in illa veste, & videbantur pretiosi lapides, esse insignia charitatis, misericordiae, patientiae, fortitudinis, ac aliarum huiusmodi virtutum. Tum mihi comparuit Christus Dominus, quem tam clarè vidi, ut quasi fuerim ipsum intuita oculis corporeis. Dixitque mihi Divina Majestas: Quia me heri vestivisti, volo tibi dare hanc vestem. Ego ipsum interrogavi: Quando te vestivi Domine? Heri, ajebat, me vestivisti in illo paupere. Et cum renuerem ac-

cipere vestem, Dominus mihi dixit, ut eam acciperem, quodque ipsemet me esse illà induturus. Apprehendit deinde Divina Majestas unam ipsius extremitatem, & venerunt Angeli eandem tenentes, imposueruntque ipsius manibus, & ille me eam induit. Erat instar togæ, cum latis manici-

§. II.

Etiam quando obambulabat, invadebat cum magna charitate infirmos, & DEUS statim adesse solebat cum praeiis, inspirans ipsi, ut illos tangeret, quod subito essent sanandi: id quod ipsa acceptabat libentissime, quando poterat fieri ita, ut non adverteretur miraculum. P. Petrus de Leon conscripsit aliqua huiusmodi miracula, quae contigerunt anno 1600. Quodam die, post sacram Communionem, cum jam vellem abire, sensit tum vehementem inspirationem, à qua impellebatur ad invisendam quandam infirmam, ut non potuerit aliter facere: invenit illam non solum ex diuturno morbo decumbentem, sed etiam laborantem ex inflammatione vicina gatturi, valde afflictò ac tumido, ac metuentem, ne esset apostema. Amplexata est infirmam, & ipsa petente, imposuit manum, affecta parti, statimque recessit dolor, ita ut infirma, quae vocabatur Aloysia de Portis, dixerit, se juncturam, quod ipsam sanaverit. Quandam ancillam, in domo, quam ipsa inhabitabat, nocte quadam occupavit dolor in uno latere, ita ut illius Domina, & alij intellexerint, esse pleuritim, egerintque de remedijs, ut ipsam curarent. Illa mota commiseratione, & inspiratione Divina, descendit ad ipsam videndam, & interrogans illam, ubi sentiret dolorem, contraxit il-

cum manu, unde tam citò abscellit dolor, ut posttriduanè surrexerit ac laboraverit, sicut priùs. Aliam faminam, suam vicinam, quæ habebat pessimè affectam unam mamillam, nec adjuvabatur ullis medicamentis, semel iterumq; visitavit, tetigitq; in parte magis exulcerata, & fuit paulatim sanitati restituta. Alium vicinum, periculosissimè agrotantè ex asthma & alijs morbis, ita ut jam ageretur de conferendis ipsi Sacramentis, ex DEI inspiratione invisit, ac imposuit illi manum, ex quo contactu convalescit. Suum Fratrem & Cognatam, graviter laborantes ex ulceribus, quasi absq; spe recuperande sanitatis, curavit intra brevissimum tempus suis precibus, ut ipsi crediderunt. Atq; idem in quibusdam rebus evenit cum ejus sororibus.

Quædam Monialis ex Monasterio, quod nomen habet à Matre DEI, constituta in extremo mortis periculo, desideravit aliquid habere ab hac famula DEI, confidens, se eo sanandam. Misit ipsi Rosarium, in quo emet effigies, cui ipsa se dicebat esse addictam, & sic melius habuit, atq; convalescit: dixitq; illi Dominus, quòd hoc miraculum fecerit, non solum ob confidentiam Monialis, sed etiam propter singularem ipsius affectum, quo illam prosequabatur.

§. III.

ILLA ipsa mihi enarravit alios tres casus sequentes. Quando Primogenita Filia Regis Philippi Tertij, quæ nunc est Regina Gallia, erat infans, dum Aula moreretur Vallisolei, agrotavit, habuitq; caput & faciem cooperatam quibusdam crustis, ut aspectus ipsius moveret ad commiserationem. Visitavit DEI parvam hanc suam Famulam, more solito, & expressit modicum lactis ex suo Santissimo ubere, ad volas manuum ipsius, dixitq; ei: Visita Filiam Regis, & applica istud lac illius capiti ac faciei, sanabiturq; sine mora. Ipsa invisit Dominam Marchionem de Vaille, quæ tunc erat Nutrix Filia Regia, sicut illam aliàs consueverat invisere; quia hæc Domina vehementer delectabatur illius conversatione & ex ea proficiebat: rogavit ipsam, ut sibi ostenderet Pri-

mogenitam Regis, & valde dissimulanter, ita ut non adverteretur, quid ageret, contrectavit illius caput ac faciem, atq; intra quadriduanam ipsi deciderunt illæ crustæ, & abscellit omne malum, quod fuerat passum. Alius quidam vir dum repararet tectum, ruit ex illo, & confregit crurum: erat pauper, habebatq; multas proles, quæ omnia ipsam movebant ad illi condolendum, rogandūq; DEUM instanter, ut ipsum sanaret. Sensit hæc Famula DEI inspirationem, ut illum inviseret ac tangeret, id quod fecit, quasi aliud agendo, & fuit intra breve tempus pristinae valetudini restitutus. Audivit dici de alio, qui similiter ceciderat, sensitq; eandem inspirationem, sed nescivit ubi moreretur; exivit ipsum questum, placuitq; DEO, ut inveniret Domum: reperit in miserabili lecto infirmum, quem tetigit & sanavit.

Alià vice, cum vicina quædam ipsius suscepisset extremam Unctionem, visitavit illam unà cum sua Matre, presentibus multis hominibus: accessit infirmam, interrogans ipsam, quomodo valeret, & an illi aliquid doleret. Dixit, omnino se dolorem sentire: & ipsa notavit locum, in quo patiebatur dolorem. Habuit potentem DEI inspirationem, ut illam tangeret. Tetigit eam occultè, & infirma subito exclamavit, dicens: Quis me attigit? quia me sanavit, & liberavit à dolore. Illa celeriter fugit, ne resciretur, quis infirmam tetigisset. Aliàs cum quidam adequitarer in effreni equo, aded furente, ut ipsum non posset detinere, omnes vehementer vociferabantur, accurrentes ad ipsam. Illa dixit DEO: Domine, detine ipsum; & in momento stetit, instar agni.

Postquam egrota decubuit in lecto, quando veniebant infirmi ad illam visitandam, consolabatur ipsos eo modo, quo poterat, & quamvis desiderarent, ut illos tangeret manu, vel ipsis aliquid daret, abnuebat ac repugnabat vehementer, non ex defectu charitatis, sed ne delinqueret contra humilitatem, eò quòd, si sanarentur, publicaretur miraculum. Qua in re ipsi evenerunt quedam notabilia, quæ referentur in sequenti capite.

CAPUT

CAPUT XVII.

De repugnantia, quam sensit, in sanandis miraculo-
sè infirmis, conscijs alijs, ac de rebus notatu dignis, quæ ipsi ea
in re contigerunt cum DEO.

Repugnantia, quam Venabili
Marina ostendit, in par-
tis miraculis, tangendo infir-
mos, ut illos sanitati restitueret, quando de-
ventum erat in aliorum notitiam, est in-
dicium miraculose humilitatis, minimèq;
contraria charitati, ex cuius impulsu illa pa-
trabat clam, pro sublevandis aegrotis.

Postquam, inquit, aliquot diebus desi-
deravisse & petivisse à DEO, si cede-
ret ad ipsius obsequium, sanitatem, pro
quodam Religioso Societatis JESU, qui in-
ciderat in gravem morbum, in quadam
Missionè; & quamvis illi DEUS contu-
lisset aliquam sanitatem, ut posset surge-
re è lecto, remansisset tamen debilis, reti-
nuissetq; malè affectam linguam, & unum
crus, ut eo non posset uti, vices ipsius do-
lens, quòd illum viderem ità miserum &
inutilem, pro ministerijs suæ Religionis,
quæ ipsius operâ indigebat, semper opta-
bam, & petebam à DEO, si ipsi placeret,
ut illum restitueret integræ sanitati. Dum
in hoc perseverarem, incepit DEUS meæ
animæ summam ingenerare confidentiam,
fore, ut, si ego in ejus nomine apprehenderem
illius brachium, sanaretur, ac liberaretur
ab ea contractione, & quadam paralyfi,
quam patiebatur, atq; unâ mihi dixit
Divina Majestas: Age nunc, & abi,
surge ac vade, ut facias, quod à me intel-
lexisti, & sana ipsum: id quod mihi dixit
bis, tæve. Ego miserabilis, hoc audito,
eram consternata, & reluctabar ac repu-
gnabam vehementer, quia mihi non po-
teram persuadere, DEUM velle assu-
mere instrumentum tam miserabile & vi-
le, pro præstando opere tam insigni, quàm
illud erat. Etiam si enim ego non possem
dubitare, quin id Divina Majestas suâ infi-
nitâ potentiâ posset efficere, utendo qua-

licunq; instrumento, mea tamen miseria,
& quòd me agnoscerem adeò tali re in-
dignam, me potenter impellebat, ut dice-
rem intra me, ac ad DEUM frequenter,
me non posse quidem repugnare, quod si
tamen tale quid fieret, ac divulgaretur, id
suffecturum ut aufugerem, ac migrarem
ex hoc loco. Videbatur mihi etiam, for-
tasse hoc mihi non præcipi, sed probari
me à DEO, ut videar, quid in me lateat,
utq; id ipsum ego intelligam & agnoscam.
Præterea & istud obversabatur mēti meæ,
propter meos timores, quòd, si DEUS,
quia mihi hoc ad me tantum probandam
dixisset, vellet, ne quidquam efficerem,
mea anima repleretur timoribus, ac du-
bijs, & anxietatibus: quamvis verum sit,
quòd propter nullam ex his, aut quam-
cunq; aliam rationem vellem recedere in
minimo à voluntate DEI, cui toto meo
corde, & pro viribus desidero placere.
Occurrebat mihi insuper tertia difficul-
tas, quia mihi videbatur, ex qualicunq;
Religiosi contactu, posse oriri scandalum,
turbationem, & offensionem proximor-
um, quod ego semper volebam evitare,
non secus ac ignem, adeò, ut, optans ex
animo contemni ac despici propter DE-
UM, semper in animo meo id fixum ha-
buerim, ut commodum & profectus ani-
marum, ac Divina gloria inde proveniens,
esset salva, neq; imminueretur propter me-
um privatum bonum, ac emolumentum.
Cum ergo ità se res haberet, proposui has
rationes Domino, qui illis auditis siluit, &
abstulit animæ meæ, pro eo tempore, im-
pulsus, quo ipsam incitaverat ad curan-
dum illum infirmum. Ego tunc velle-
ti conqviēvi, sed fui anxia, timendo, ne il-
la mea tergiversatio esset mea fragilitas,
nimius timor & verecundia naturalis, pro-
pter

pter quam omitterem implere voluntatem DEI, & sequi ipsius inspirationem. Quod autem me maximè affigebat, erat, an ille timor, quem habebam, quòd forè, si tangerem infirmum, non conualesceret, non oriretur ex aliqua occulta superbia, quam ego non comprehenderem, utpote latentem in fundo animæ. Paucis diebus sensi istas molestias ac difficultates, desiderans me conformare voluntati DEI, qui quodam die intimè pervadens animam meam, incepit se mihi communicare, dicendo mihi: Quare es ita anxia, ac perplexa, & pateris tantam animæ afflictionem? Cùmq; ego responderem, meam anxietatem ex hoc procedere, quòd timerem, agerè me conformiter Sanctissimæ ipsi voluntati, an secùs in eo negotio dixit mihi Divina Majestas: Volo tibi nunc dicere, pro tuo solatio, quid hoc sit, quidq; tibi evenit in tuis dubijs ac difficultatib⁹.

Quod attinet ad primum; quia angeris, an tibi præceperim determinatè, ut reverà te conferres, ad curandum illum infirmum, quòd; non obediveris, scias velim, id tibi à me tunc non fuisse mandatum tam absolutè, sed eo modo, quo superior quispiam valde amans, & bene cognoscens suum subditum, à quo vicissim se amari confidit, quòd; sit libenter facturus, si quid ipsi mandaverit, ageret cum hoc subdito, de aliquo gravi negotio, volens illud ipsi committere expediendum, unàq; intelligere ejus propensionem & capacitatem; atq; in hunc finem illi diceret talia, ut subditus cogitaret, ac animadverteret, sine dubio velle superiorem sibi mandare & committere id negotium, & cum ista cogitatione ac opinione, applicaret animum sollicitè & attentè expendendo grandi illi operi à se peragendo; atq; consideratà suà exiguà aptitudine, quam suo iudicio haberet, pro tanta re, inciperet vacillare, dicendo: Quomodo esset possibile, ut ipse exequeretur hoc opus, & se non posse intelligere, neq; credere, sibi à Superiore tam discreto & sapiente talem rem mandari, aut committi: constitutus autem in hac perplexitate ac dubio, expe-

ctaret, cupiens sibi id eximi, ut ipsi superior declararet suam mentem, aperiretq; suam voluntatem & intentionem, non audens facere, neq; mandare executioni quidquam concernens illud negotium. Ità tibi mecù accidit in eo, quod te affigit, tēq; reddit dubiā & anxiā; propterea ne affligaris, neq; angaris, cogitans, te non obtēperavisse meo mandato & voluntati. Hac ratione discēs & cognosces à meā sapientia diversos modos, quibus ago cum animabus. Quando enim tibi dixi: Abi, vade, & sana eum infirmum, feci hoc quod in te ipsa agnosces, si id bene consideres, non sicut soleo, quando tibi aliquid impero determinatè, ut illud exequaris, sed ac si dicerem, ad te probandam & explorandam, quomodo id suo tempore esses peractura: Fac modò magnum istud opus.

Quoad secundum, quod te magis vexat ac affigit, an sit superbia ille timor ac molestia, quam sentis, ne, si non fiat illud opus, & non bene succedat, præbeat scandalum proximis, scias, id non esse superbiam, uti tu times: sed quia desideras ex toto corde tuo majus bonum animarum, & ne sis, quantum est in te, illis offendiculo aut scandalo, vel malo exemplo, nolles, conformiter huic tuo bono desiderio, reperiri in te quidquam contrarium: atq; hoc poteris cognoscere, esse verum, ex eo, quod extra hos casus, qui concernunt proximos, si esset mea voluntas, desideres contemni ab omnibus, atq; idcirco gratum tibi accideret ire aliquo, ubi tractareris, quemadmodum tibi videris mereri, & parùm vel nihil æstimareris, in quo similis es tuo bono Patri IGNATIO, cujus doctrinà es educata, qui maluisset aliquid deperdere, de sua corona, minùs pro me patiēdo, quàm illam augendo, nocere, vel minùs prodesse proximis.

Tertium, quod tibi metum incutit, ac adfert molestiam, fore videlicet, ut si illud opus non fieret, summè timeres, quid hoc esse posset, oritur ex tua meticulosa natura, ac imbecilli, cùm tamen nihil in eo reperiatur difficultatis, neq; ulla causa, vel ratio sit timendi. Audivit mea ani-

ma attentè, quod illi Dominus dicebat, quòdque ipsam docebat suâ illâ Divinâ & cœlesti sapientiâ: quia in ejusmodi communicatione, quando nemo præter illum loquitur, non audit, neque audire potest anima, nisi ipsum, totâque absorbetur in illo, plena lumine, bonis & solatijs cœlestibus, expulsis & abactis ab illa tenebris omnis timoris, confusionis, & ambiguitatis.

Alius casus ipsi rigidior evenit, in quo luit promeritam pœnam, id quod ipsa sic refert: Duo Religiosi Societatis, servi DEI, invisentes me quodam die, rogaverunt me, ut peterem à Divina Majestate sanitatem unius sui Collegæ, qui cum iter ageret, in vasus fuit à canibus, & perterrefactâ mulâ, quâ vectus fuerat, cecidit, luxavitque brachium in cubito. Licet autem fuerit curatum, mansit mancus ita, ut non posset inflectere brachium, oporteretque illud rursus luxare, ac de novo curare, cum ingenti dolore ac molestia ipsius. Jussērunt me orare DEUM pro illo, ut bene succederet hæc ejus curatio, si ita ipsi placeret. Auditâ hæc relatione, præter morem indolui, & fui illuminata à DEO, hoc factum fuisse à diabolo, qui actus in rabiem, propter ea, quæ ille Religiosus operabatur pro DEI honore, concitaverat eos canes, seu ipsos fuerat ingressus (permittente id DEO, propter incomprehensibilia sua judicia, & pro bono illius Religiosi) ut ei noceret, & incommodaret, quantum possēt. Dum illos audirem cum hac commiseratione, incepit DEUS suggere meæ animæ occultissimè inspirationē, qua mihi innuebat ac indicabat, ut adirem illum infirmum Patrem, & apprehensum ipsius brachium meis manibus, moverem ac attollerem, qui illud gerebat pendulum, neque poterat incurvare, ut sic sanaretur. Animadvertens, DEUM velle, id à me fieri, fui valde turbata & afflicta, atque tam notabiliter ab eo abhorrebam, ut mihi videretur factum impossibile, neque id auderem tentare: quia, propter meam naturalem verecundiam, dimicabant in meo corde duo: unum erat indecentia, & quasi temeritas, in adeundo illo Patre,

apprehendendoque ipsius brachio, ac attollendo: alterum verò noticia facti, pudor & confusio, atque alia, quæ eram sentura, erantque mihi obventura, eò quòd alij id essent visuri, neque intellecturi, me à DEO assumi, pro instrumento ejusmodi rerum. Ultra mediam horam sum passa istos cordis mei conflictus, qui me vehementer angebant, & reipsa, quia inspiratio Divina id non præcipiebat cum imperio, sed veluti rogando, eò quòd DEUS perspectam haberet meam fragilitatem, quamvis ipsa sufficeret ad obediendum Divinæ Majestati, vicit mea pusillanimitas ac imbecillitas naturalis, neque feci, ad quod incitabar. Abiverunt Patres, & ego ipsis pronisi, me facturam, quod mihi imperabant, commendaturamque DEO, in meis indignis precibus, illam necessitatem, quam diligentissimè possem. Sed postea, intra medium horæ quadrantem, incepit DEUS adeò potenter arguere meam animam illius defectus, & imperfectionis, quam admiseram ut mihi viderer confusissima & afflictissima. Dicebat Dominus: Es inobediens, pusillanimis, meticulosa, verecunda naturaliter. Cum autem te sufficienter instruxerim aptitudine ac dispositione, tam naturali, quam supernaturali, pro talibus operibus, concernentibus honorem meum & gloriam, non exequeris tamen illa, sed sequens tuas naturales propensiones mihi repugnans; malè facis; quare sic agis? Hæc, & alia hujusmodi dicebat DEUS, quæ ego audiebam cum prædicta anxietate & afflictione. Et cum nescirem quidquam respondere, dixi Divinæ Majestati: Meritissimò me Domine reprehendis, & corripis propter meos defectus ac peccata. Sed verè, mi Domine, cogito & credo, quòd te non bene intellexerim, propter afflictionem ac turbationem naturalem, quam experior in similibus rebus. Quia sine dubio existimo, quòd, si bene & clarè intelligerem, & agnoscerem tuam sanctissimam voluntatem, facerem, tuâ adjuvante gratiâ, quidlibet, quod mihi imperares, quantumcumque esset molestum ac difficile. Ignosce mihi.

hi, Domine, & propitius esto mihi, propter tuam bonitatem, atq; si vis, & est tua sanctissima voluntas, ut faciam & exequar modò, quod non feci, faciam libenter; adhuc enim locus est & occasio, ut id possum peragere. Ad quod mihi respondit Dominus, non statim, sed post aliquam veluti moram: Jam non est tempus, Marina, præterijt occasio: supercede, & abstine ab hac re. Quomodo fuerim tum constituta, quilibet intelligat; egrègiè videlicet compuncta & afflictà, idq; per triduum vel quatrduum. Postea verò paulatim, per ordinariam communicationem animæ meæ cum DEO, & misericordiam, quam Divina Majestas mihi præstabat, & svavitatem, quam mihi exhibebat, attemperata mihi fuit, & sublata illa anxietas, ac afflictio. Sed post paucos dies, cum essem intenta orationi, jam ejus rei immemor, iussit DEUS meos Sanctos Angelos mihi dicere, ut propter quosdam defectus, quos commiseram, subirem penam. Postquam hoc dixissent, etsi id fenserim ac timuerim, resignavi me statim in manus DEI, ipsiusq; Ministrorum, siue ij essent Angeli, siue diaboli, ut in me fieret per omnia ipsius quàm sanctissima, & amabilissima voluntas: cogitabam verò in corde meo, propter qualem meum defectum & peccatum essem punienda, quia tunc penitus non recordabar ejus defectus, quem recensui. Dominus, qui bene cognoscebat meam cogitationem, præcepit meis Angelis, ut mihi dicerent causam hujus supplicij, ideòq; mihi dixerunt: Soror nostra, vehementer es immemor inobedientiæ, quâ offendisti DEUM, non sanando brachium illius infirmi. Noveris porro, hanc esse culpam, quæ tibi luenda est. Quatuor vel quinq; diebus angebar timore ac solitudine, quia natura sibi non deerat, & non sciebam quando vel quomodo essem castiganda, quamvis ominarer modum illius punitionis. Et quodam die S. Michaëlis manè, dum agerem cum DEO, me nihil minus cogitantem Angeli castigaverunt, ad magnum dolorem. Suscepi id cum resignatione

& solatio, quia necesse erat, ut luere in meam culpam, & plecterer pro merito, utq; in me fieret voluntas DEI, & illi Sancti Angeli mihi disparuerunt, nec eos amplius tunc vidi.

Addamus dictis, ut appareat magis amor, quo DEUS hanc suam famulam prosequeretur, quod videns verecundiam, quæ cumbat infirmos, voluerit ipsam in seculi sanitati restituere propter illam, nonnullos, qui ipsam noscebant, ac veniebantur, id quod clarè indicat visio, quam habuit hunc in modum. Vidi quodam die duos Sanctos Angelos, præter ordinarios, qui semper mecum manent, volentes me alloqui. Ego vehementer fui turbata, & gessi me dissimulanter, fingens, ipsos à me non videri, & constanter abnuens illos audire, quod duravit per unum diem, donec sub mediu noctis Sanctus meus Angelus Custos me adegisset, ad ipsos aspiciendos, & audiendos, ac faciendum, quod mihi imperarent. Venerunt ad me, & ostenderunt mihi quoddam vasculum crystallinum, delicatissimum & splendidissimum, infernè rotundum, absq; pede, habens altum cololum, instar phialæ. Erat distinctum bifariam, in una parte continebat lac, in alio verò sanguinem, sed duos liquores, colore referentes lac & sanguinem. Jusserunt me, illis liquoribus trinam impertiri benedictionem. Ego valde tergiversabar, nec poteram induci ad hoc faciendum, licet juberer, donec me Sanctus meus Angelus Custos ad id compulisset. Atq; tunc, etsi cum magna difficultate, hoc feci. Postea idem mihi dixit: Quàm attonita, consternata, & refractaria fuisti, quòd volueris consentire in id, quod à te duo Angeli DEI petebant? Tu nescis mysterium. Medicina erat illa quædam Divina, ad restituendam, eà adhibitâ, sanitatem quibusdam infirmis, iussu DEI, & quia ijdem infirmi tibi sunt bene affecti.

Concludamus eo, quod illi contigit, cum incidisset in morbum ipsius Soror, qua inhabitabat alius conclave, imminens illius cubiculo, in quo ipsa decumbebat, & pariebatur suas infirmitates. Postquam DEUM depre-

deprecata fuisset pro ejus sanitate, vidit, quasi ex tabulato sui cubiculi cadentem, supra suum lectum, quandam venustissimam, candidissimam, & elegantissimam aviculam, que gratiosissimè saltitabat, cum summa jucunditate, per cubiculum, & egressa inde per portam, ascendens per gradus, ad cubiculum suæ sororis, in quo etiam jucundissimè subsiliebat, atq; evolans ad lectum, pertrectavit illam in pectore, latere, capite, & pedibus, rostrillo, ac deinde intravit in os

infirmæ, & subitò disparuit. Sancti Angeli ipsi explicuerunt hujus rei mysterium, dicendo illi, quòd DEUS ei voluerit indicare, se ex virtute ipsius naturali, & supernaturali, nihil illi auferendo, communicare ejus sorori, id, quo indiget, ut confortetur in corpore & anima. Atq; ità convalescit ex infirmitate, qua fuerat periculosâ.



CAPUT XVIII.

De rebus notatu dignis, quæ ipsi acciderunt cum DEO, concernentes carcerem, & mortem Domini Roderici Calderonij.



Vsq; adeò est pervulgata in universa Hispania, bona, & exemplaris mors Domini Roderici Calderonij, quòdam Marchionis Septem Ecclesiarum, ut mihi visum fuerit, referre arcana, illam concernentia, qua acciderunt Venabili Marina cum DEO: quia procul dubio obtinuisse videtur à Divina misericordia, tam admirabilem dispositionem ad moriendum, & evolandum ad Cælum, multis eleemosynis & optimis operibus, qua illi prastitit in vita, & per ferventes preces, quas ipsa pro eo fudit, dum esset comprehensus, donec moretetur: atq; etiam, quia ipse rectè fuerat usus bonis consilijs, qua ista famula DEI illi suggererat, preveniente ipsum, ac disponente DEO pro eo, quod illi emt eventurum. Cujus rei fuit magnum indicium, id, quod mihi retulit Dominus Ferdinandus Ramirez Farinjas, Supremus Auditor Consilij Regiæ Majestatis, qui tum morabatur Vallisoleti, visitans istud Regium Auditorium, & sua mecum conferebat consilia. Quia, cum venisset, ad ipsum comprehendendum de mediâ nocte, juxta mandatam, quod accepit, dixissetq; illi causam sui adventus, & ut se vestiret, ac secum abiret, sustinuit

hunc ictum tanta cum humilitate, & submissione, atq; conformitate cum Divina voluntate, ut Judex, & qui ipsi emt à sententis, mimiti fuerint, ac obstruperint: quòd illis videretur, non posse ab aliquo Sancto Religioso amplius expectari. Et cum ab eo petivisset chartas, quas habebat in sacculis, sine motu illas exemit omnes, etsi essent secretissima, usq; ad libellum examinis, in quo conscribentur sua peccata, pro confessione sacramentali, & omnes ipsi imaidit. Cetera que contigerunt, pertinentia ad nostrum propositum, conscripsit Marina, DEO jubente, sequentibus verbis.

§. I.

Quid ipsi contigerit ante mortem Domini Roderici.

ERat quidam Vir illustris, nomine Dominus Rodericus Calderonius, Marchio septem Ecclesiarum, benefactor meus, quem à pluribus annis noveram & commendabam DEO, cui etiam dabam bona consilia, spectantia ad virtutes, & profectum ipsius spirituales, ad quod illam, & ejus animam videbam optimè dispositam.

positam. Hunc nobilem virum, ita dispositum, permisit DEUS, ex suis incomprehensibilibus & altissimis iudicijs, vehementer ac terribiliter affligi, molestia carceris. Unde supra modum mea anima cruciabatur, summè desiderans salutem animæ ejus, cum magno auctario gratiarum, idq; primo loco; tum ut, si Divinæ Majestati placeret, ac illi expediret, liberari cum honore ex carcere, id propter bonitatem suam faceret. Incepi hoc à DEO quàm enixissimè, & ardentissimè petere, quasi absq; intermissione, noctu, diuq; per tres annos, demptis quatuor mensibus, quamdiu duravit captivitas. Tandem autem, dum offerret DEO suam vitam in manus Justitiæ, cum omnium admiratione & solatio, propter magna indicia, quæ in sua captivitate & morte, edidit, pœnitentiæ, conformitatis cum Divina voluntate, & veræ resignationis, quâ acceptavit mortem, ac decollationem, amore sui DEI, & in satisfactionem pro suis peccatis, erat ingens fortitudo ipsius animi, quam prætulit in illo tam terribili actu: & cum ejus rei fama divulgaretur per totum Regnum, hoc tempore, de quo sum loquuta, mihi evenerunt quædam profus insolita cum DEO, concernentia id, quod intelligebam & agnoscebam in Divina Majestate, habito lumine, quo illustrabat meam animam, de illius salute, deq; cæteris, quæ eventura erant isti creaturæ, ex quibus referam aliqua ad gloriam DEI, & quia scio, hanc esse ipsius sanctissimam voluntatem; non autem omnia, quia id mea debilitas, & infirma valetudo non patitur.

Quod ad primum attinet, quotiescûq; commendabam DEO istam personam, videbam, in manib⁹ alicujus Judicis æquissimi & benigni, ac dirigentis totam istam causam, ad salvandam ipsius animam, cum magno meritorum incremento, unde mea anima summum capiebat solatium. In reliquis, quem exitum essent habitura temporalia, etsi me DEUS non contristaret, ex sua pietate, timebam tamen semper, ideòq; non poteram conso-

lari ipsius cognatos, qui hac de re mecum loquebantur. Erant magnæ disceptationes animæ meæ, disputantis cum DEO, de isto negotio, quas, eò quòd sint usq; adeò subtiles ac mysticæ, hoc loco non refero.

Ita constitutis rebus, aliquot mensibus ante ipsius mortem, mihi DEUS in spiritu ostendit hoc mysterium. Vidi istum Dominum duci ab Angelo ipsius Custode, qui constituens illum ante quandam Crucem magnam, duram ac terribilem, portatu, obtulit illam ipsi amplectendam, acceptandam, amandamq; ex corde, nomine DEI, dicendo illi: Anima, Crux illuminat, ac dirigit, & vivificat. Videns ea Creatura horribilem terribilitatem illius Crucis, quam ipsi Angelus offerebat generosè tolerandam, naturaliter valde horrebat, & contremiscens illam subterfugebat. Angelus autem sua inspiratione illum potenter urgebat, ut se submitteret, atq; consentiret, & amplecteretur ac susciperet Crucem. Verùm, naturam suam præstante officium, etiamsi tentaret ipsam suscipere, & amplecti, nihilominus cum magno timore reluctabatur, ac tergiversabatur. Dum ita confligerent inspiratio Angeli, ac timor humanæ naturæ, illius creaturæ, tota ea Crux fuit obscurata, à summo usq; deorsum, & procidens humi, quia steterat erecta, paulatim mirabiliter descendebat, ac intrabat in terram, donec ab illa penitus tegeretur. Videns hoc ille Dominus, consternatus est ac terrefactus, & redactus ad magnam angustiam, fuitq; afflictus, quia videbatur sibi fuisse temerarius, repidus, & incircumspectus, eò quòd restitisset inspirationi Angelicæ, noluisseq; complecti Crucem, & prostratus humi, multa infigebat oscula ei loco, in quo fuerat Crux, & adorabat illum, ac venerabatur, & cupiebat, ac desiderabat ex corde amplexari Crucem. Dum esset ista Creatura tam bene disposita, Crux illa admirabilis, quæ fuerat cooperta à terra, atq; sepulta, incepit resplendere, & prurumpens foras ac super terram; emittebat ex se radios splendidissimos, & tota

apparebat esse conflata ex auro purissimo, ac ardens igne vehementi & comburentē. Videns idem Dominus istud tantum mysterium, motus inspiratione Sancti Angeli, magno affectu suæ animæ amplexatus est illam admirandam Crucem, & adoravit, suscepitq; ex corde, transfundens voluntatem suam in Divinam, paratūq; se exhibens ad omnia, quæ de ipso vellet facere, juxta suum sanctissimum beneplacitum, & conducerent ad ipsius animæ salutem. Viso hoc mysterio, cum magno solatio, mea anima fuit abrepta, ac unita suo DEO, & quando mihi sum reddita, gratias egi Divinæ Majestati, pro tanto favore, prælitato illi Creaturæ.

§. II.

Quid contigerit circa ejus mortem, & ipso die mortis.

POST hoc, triduo vel quadriduo ante mortem hujus Domini, mihi illum DEUS exhibuit spectandum in spiritu, sequenti modo. Cùm nihil minùs cogitarem, quàm, eventurum mihi aliquid tale, essetq; intenta consuetæ meæ orationi, vidi ipsum quasi obambulantem, cum magno gaudio & solatio, per cœlestem Curiam, ac si lustraret illam cœlestem patriam, & adiret ipsius possessionem, in qua, ex Divina misericordia, esset æternum victurus. Præferebat magnam lætitiā, & vestis illius erat pretiosissima, ac elegantissima toga, ad pedes usq; protensa: aureus hujus togæ pannus erat gratiosè, usquequaq; concisus, perq; aperturas apparebat quædam velut suffultura tam pretiosa & splendida, ut videretur esse purissimo referta auro, ac gemmis. Hæc toga præbuit meæ animæ occasionem magnæ considerationis, unde dicebat: DEUS bone, quare pannum tam pretiosum & pulchrum, qualis est hujus togæ, ita conviderunt? Nōne præstitisset illum esse integrum, & inconcisum? Dum ita mea anima hæreret attonita, manifestavit ipsi DEUS mysterium, dicendo: Considera,

Anima mea, istas scissuras, quas vides in hac veste tam jucundas aspectu. Repraesentant enim, & significant peccata hujus Creaturæ, quam sic vides obambulantem, ac defectus, qui, propterea quòd de illis doluerit, egerit pœnitentiam, atq; ab illis respicerit, tantum abest, ut descenderint ipsius animam, ut potius per hanc suffulturam ita gratiosam & pretiosam, sicut vides, pœnitentiæ & respiscentiæ, efficiant, ut tota hæc vestis sit figura & symbolum animæ ipsius tam gratiosæ, pretiosæ, & ornatae. Mea anima fuit vehementer recreata & mirata est, id quod ipsi dixit DEUS, atq; attollens oculos, vidit, illum Dominum habere in capite pretiosam coronam, instar diadematis, & in suo collo monile ex pretiosis lapidibus, statimq; ac DEUS ostendit meæ animæ hoc mysterium, fuit rapta in ecstasim. Quando ad me redij, magnas egi DEO gratias, pro omnibus operibus ipsius ac misericordijs. Postquam advenit dies, quem Divina Majestas in suo supremo Consistorio decreverat, ut iste Dominus migraret ex hac vita mortali, ad fruendum vitæ æternæ, per terribilem mortem decollationis, & naturæ adversissimam, quod contigit quodam die Jovis, post meridiem, vigesimā primā Octobris, anno millesimo, sexcentesimo, vigesimo primo, in festo undecim millium Virginum, eadem horâ & momento, quo ista Creatura conscendit locum, ubi illi erat subeundum supplicium mortis, & confedit in sella ejus loci, fuit ducta, in spiritu, ab Angelo ipsius Custode, comitantibus me illis Angelis, quos attribuit Dominus meæ animæ, per modum somni cujusdam spiritualis, ad illum miserabilem locum, ubi adfui præfens illi actui, ac si ipsa & verè ibi essem cum corpore & anima, fuitq; mihi manifestatum, quod ad gloriam DEI recenserebo. Vidit mea anima advenientem quandam gravissimam, formosissimam & modestissimam Virginem, in vestitu honesto, quam comitantur, quasi pedisequæ, aliæ Virgines. Venit ad locum, in quo erat ille Dominus, & cùm cum perquam affabiliter, a-

manet,

manter, ac benignè intueretur, is ipsam vicissim aspexit, & assurrexit ex sella, in qua federat, ac defixis in eo theatro genibus, salutavit illam affectu humillimo, amabiliter & humanè, dicendo ipsi: Bene veneris, dilecta mihi Domina mea dilectissima, quam ex corde meo desideravi: Tu es chara Sponsa mea, atq; ut talem te æstimo, & suscipio, amo ac veneror. Et apprehendens blandissimè ac modestissimè formosissimas ipsius manus, osculatus est illas dicendo: Dissuaviabo tuas sanctas manus, & tu eris gloria mea: tu es numeris omnibus absolutum bonum meum, & meus honor.

At cum hoc dixisset, illa mystica Virgo, quæ erat figura & forma Crucis, quam erat subiturus, ipsum elevavit, collocauit; in sella, & evanuit: ac tum subito fuit peractum illud supplicium; ego verò sum reducta ab Angelis, qui me eò adduxerant, ad meum Angulum. Postquam ad me redi ex illo raptu, & quasi somno, reperi me afflictissimam, ac animam meam gravatam mœrore, & compatientem morti illius Domini; quamvis summum habuerim solatium in DEO, quòd vidissem talia mysteria, & illum complexum atq; desponsationem, quæ sibi anima ipsius desponsavit Crucem in hora mortis. DEUS sit benedictus.

§. III.

Quid acciderit post mortem.

ELapsum inde erat biduum, quando mihi manè, agenti cum DEO, loquuta est spiritualiter anima istius Domini, quin tamen ipsum viderem, more humano, dixitq; mihi admodum jucundè: DEUS sit tecum, mea Mater, & rependat tibi semetipso beneficium, quod mihi contulisti. Audiens eam loquelam spirituales, subito ipsam agnovi, illuminata à DEO, & respondi illi cum solatio: Bene veneris, Anima DEI: Dic mihi; rogo te, amore ipsius, si id meo DEO placet, estq; illius sanctissima voluntas, quo sis lo-

co, & an fruaris tuo DEO, vel commoreris in pœnis Purgatorij. Respondit mihi cum magno gaudio: Mater mea, fruor summo Bono, ex Divina bonitate & misericordia, atq; propter tuam intercessionem. Significo autem tibi, pro majori meo bono, & gloria DEI, voluisse Divinam Majestatem, ut, quando mea anima est egressa ex meo corpore, à Sanctis Angelis, qui ipsam ducebant ad cœlestem Jerosolymam, duceretur proximè Purgatorium, ut videret terribiles pœnas, à quibus illam DEUS per suam misericordiam liberaverat, & quarum loco acceperat, molestiam ac tormentum carceris, & mortem mei corporis, quod tamen totum comparatum vel cum atomo eorum, quæ illic tolerantur, fuit instar picturæ, comparatæ cum re viva & vera, tantumq; mei quædam humiliatio, quam sustinui in transitu. Ut hoc agnoscerem, absq; ullius ferè sensu pœnæ, me edocuit, ita se rem habere.

Deo in summis gaudijs & quiete æterna, quam non possum exponere, neq; ulla lingua est, quæ ipsam valeat explicare. Benedictus sit DEUS in æternum, qui tam abundanter remuneratur dolores temporales, ideòq; te rogo, Mater mea, amore DEI, ut bono sis animo, & magno tibi sit solatio tua. Crux, ac tua patientia, quia pateris pro tuo DEO, manentq; te tanta ac æterna præmia, & quies, atq; nunc vale. Et hoc dicto cessavit, desitq; communicatio cum illa anima, ego verò fui rapta in ecstasim, ex qua ad me rediens, cum ingenti solatio meæ animæ, agebam magnas gratias DEO pro tantis favoribus ac miserationibus, quas exhibuerat illi Creaturæ. DEUS sit benedictus.

Post unum abhinc diem, dum manè agerem cum DEO, venerunt ad me Domini mei Sancti Angeli, & postquam me induissent quædam mysticâ veste, coloris quasi cœlestis, & lucidi, imposuissentq; coronam meo capiti, in momento me tulerunt ad cœlestem Jerosolymam, constitueruntq; me in conspectu Divinæ Majestatis: ubi vidi venientem ad me animam istius

istius Domini defuncti, de quo loquor. Veniebat autem in humana specie, referente ipsius vultum, ac personam genuinam; & erat tam subtilis ac transparens illa materia ejus figuræ, ut per ipsam apparuerit lumen & splendor animæ, quæ eam assumpserat, dixitq; mihi humillimè & peramanter: Bene veneris, ad hanc cœlestem Aulam, Mater ac Domina mea, bene veneris, in nomine Domini, qui tibi rependat tantum beneficium, quod mihi præstitisti, tuis precibus, per bonitatem DEI, cui ego infinitas ago gratias, quod voluerit, ipsiq; placuerit, pro tuo solatio & tua gloria, ut esses testis oculata gloriæ ac beatitudinis æternæ, quam possideo, utq; id manifestares viventibus in mundo meis cognatis, ad eorum solatium & gloriam DEI. His dictis, disparuit illa species & figura, quæ erat instar nubeculæ lucidæ ac subtilis; remansitq; anima ipsius gloriosa & splendidissima, in specie columnæ, constatæ ex auro purissimo, & igne potenti ac splendidissimo, quæ tota erat circumdata à Sole pulcherrimo summi splendoris, cujus radij videbantur pertinere ad Divinum Esse, unde illi animæ communicabatur & conferebatur omnis beatitudo, quâ fruebatur, quàmq; possidebat. Fuit summum solatium, quod percepi ex isto aspectu, & postquam illo fuisse aliquandiu frui, fui abrepta; quando autem ad me redij, reperi me à meis Dominis Angelis reductam ad meum angulum.

Elapso post biduo, dum tempore quodam matutino agerem cum DEO, & vehementer affligerer à meis extraordinarijs doloribus, vidi istam creaturam, quæ me est allocuta, quamvis ego resisterem, meq; abstraherem ab eo videndo ac audiendo, quia præterquam, quod id plerumq; fa-

ciam; cum bonum sit ita interdum face-
re, quando hoc DEUS permittit, ut non
erretur, neq; propterea perdatur DEUS,
vel ipse omittat revelare mysteria, eò quòd
sic illi præstetur obsequium, & quia mea
anima bene erat occupata suo DEO, re-
stiti initio, sicut dixi: Videns hoc illa A-
nima, dixit blandè & amanter: Ne me fu-
gias, Creatura DEI, ego enim non venio
ad te occupandam, neq; molestandam,
abstrahendo te à tuo DEO, sed ut te so-
ler, & animem, adferamq; tibi bonum
nuntium, quòd non sit diu differenda tua
migratio: atq; ecce, quando venerit tem-
pus tuæ mortis, quod DEUS constituit,
cum ijs, qui pro te venient ex Cœlo, veni-
am & ego. Audiens hoc ab ipso dicit, fui
recreata & confortata, dixiq; illi: Bene-
dictus sit DEUS, atq; etiam tu, Anima,
DEI. Dicis te venturum pro me cum
tuo collo resecto à corpore? nescio, quid
me moverit, ad hoc dicendum. Ipse ve-
rò respondit: Ita, Anima, & certam te re-
do, nomine DEI, ac assero istam verita-
tem, ut videbis die Judicij, quòd propter
ensem, quo fuit resectum, meum collum
sit habiturum tam elegatè & pretiosum
torquem, tamq; cæleste vellus aureum, ut
valicorum sit plus, absq; comparatione,
quàm omnia imperia & regna mundi, &
exornatum magis meum collum, quàm
clarissimus ac splendidissimus Sol, quod est
certissimum. Fui vehementer recreata,
his auditis, & respondi ipsi, me credere ita
futurum, atq; ut cum benedictione DEI
mihi præstaret gratiam promissam. Et
postquam hoc dixissem, abivit à me, ego
verò magnas gratias agebam DEO. Ipse
sit benedictus, Amen.

✽(✽✽)✽



CAPUT XIX.

De alijs admirandis rebus concernentibus istum
casum, quæ ipsi evenerunt cum DEO.

Rateca, quæ dicta sunt in antecedenti relatione, ipsi acciderunt alia cum DEO, diversis temporibus, hoc modo.

§. I.

DUm aliquando commendarem DEO hunc Dominum, quando adhuc vivebat incarceratus, & non multo ante illius mortem, quia optabam, magno affectu, præcipuè ipsius salutem, ac tum etiam bonum successum, quoad temporalia; rogabam DEUM, ut illum dignaretur liberare ex carcere, cum victoria & palma; atq; cum huic orationi vacarem, antequam audirem Sacrum, vidi ingredienti meum cubiculum, eo tempore, quo eram Divino Epulo reficienda, plurimos Angelos, gestantes palmas in manibus & præcedentes Sacerdotem, qui mihi adferebat Augustissimum Sacramentum. Obstupui vehementer, viso eo mysterio, neq; tunc potui intelligere, quidnam esset, quamvis intellexerim, esse aliquid concernens Marchionem. Et licet semper essem valde certa & secunda de ipsius salute, nihilominus quoad successum ipsius negotiorum temporalium versabar, & DEUS me detinebat, in magno dubio. Postquam obivisset, declaravit mihi DEUS hoc mysterium, dixitq; mihi, eo significatum fuisse, quàm solenniter essent Angeli cum palmis in manibus, in signum victoriae, excepturi in Coelo animam illius Domini, sicut reverà deinde factum fuit: Adimplevitq; DEUS mea desideria, concedendo mihi quod petiveram, imò longè amplius. Alià vice orans pro ipso ferventissimè, sempèq; primo loco petens illius salutem, postea verò libertatem temporalem, etiam concepi certam spem de eisdem salute, cum magno tamen dubio de

eo, quod concernebat temporalia. Et quamvis mihi DEUS dixerit, non solum semel, sed sæpius: Ego tibi satisfaciam, ego te consolabor; semper nihilominus manebam in eo dubio. Postquam illum vidissem mortuum, dixi ad meum Dominum: Quomodo egit Tua Majestas? quomodo mihi satisfacit? Dominus mihi respondit: Optimè adimplevi, quod promiseram. Nonne tibi modò satisfactum est, quòd tibi ipsum ostenderim, in mea gloria felicem ac beatum? Nonne hoc est melius, quàm si mansisset in perpetuo carcere, cum periculo suæ animæ? Tum ego respondi: Ità profectò, mi Domine, est mihi quàm maximè satisfactum. Atqui hoc tibi promisi, inquiebat Dominus, quòd tibi dixi, me tibi satisfacturum.

§. II.

Aliàs, cum DEO commendarem istum Dominum, dicebam Divinæ Majestati, ut, si commisisset aliqua peccata, puniret illum propter ipsa in Purgatorio, neq; permetteret, ut cum dedecore egrederetur ex illo carcere. Post mortem, quasi respondens huic meæ petitioni, mihi quodam die dixit, cum magna gravitate & autoritate: Ego permisi mortem hujus hominis, ut ipsum per illam adducerem ad salutem, cum magno gloriæ auctario, proptèrque alios fines meorum arcanorum Judiciorum. Et inde intellexi, DEUM mihi nolle dicere, commiseritne iste Dominus delicta, digna hac morte, an verò non commiserit, quia Divina Majestas mihi nunquam revelat aliena peccata: sed solummodo mihi manifestare solet præcipuam hujus suæ permissionis causam, quæ est prædicta; præterito illo altero, tanquam eo, quod scire meâ non intereat.

Yyy

§. III.

§. III.

Hoc non obstante, adferimus, quod ante commemoratas visiones illi evenit cum Angelo ipsius Custode. Dum, inquit, essem vehementer afflicta quodam tristissimo casu, qui contigerat cuidam personæ, quam ego à multis diebus commendaveram DEO instantissimè, & existimarem, quòd fortè Divina Majestas meritissimò & justissimè, propter mea peccata, nolisset exaudire meas imperfectas & miseræ preces; inter has cogitationes me amanter & fixè intuitus est meus Sanctus Angelus Custos, dixitq; mihi: Anima mea, quid agis? quales sunt istæ cogitationes, quas habes? significo tibi, tuas orationes comparuisse coram Tribunali Sanctissimæ Trinitatis, ibiq; fuisse exauditas, & placuisse illas Divinæ Majestati. Verumtamen adverte, Anima, quòd infinita Sapientia DEI, ac Divina ipsius Bonitas, ex suis altissimis & secretissimis Judicijs decreverit à sua æternitate, in illo suo secretissimo arcano sui immensi Esse, & secundum arbitrium ac modos constitutos in Consistorio Beatissimæ Trinitatis, vias ac rationes convenientissimas, utilissimas, summèq; necessarias, pro deducendis animabus ad suam salutem: ideòq; etsi Potentia ipsius sit infinita, & possit quidquid vult, ac postulat Sanctissima ejus Voluntas; dirigit tamen res suarum creaturarum ad hunc finem. Quod cum ità sit, frequenter potest contingere, ut etiamsi servi DEI & amici ab ipsomet moti, & quidem seriò ac ardentè, ab eo petant quædam peculiariora pro solatio & subsidio, ac remedio aliquarum creaturarum, quamvis id faciant cum vera intentione ac desiderio, ut omnia cedant ad majorem ipsius gloriam, non obtineat tamen illa à Divina ipsius Majestate, propter dictas causas, & quia non expedit, ut mutet suas Divinas dispositiones. Noveris præterea, decretum Domini DEI nostri omnipotentis esse terribile, fortissimum, tam potens ac immensum, quàm est ipsemet DEUS, neq; ullum

posse penetrare vel perscrutari altissima illius judicia.

Omnia hæc dixit Sanctus Angelus, meq; reliquit plenam solatio, & illuminatam, atq; admirandam.


§. IV.

Alio die vidi, ex laqueari mei cubiculi decidentem crudelem quendam diabolum & horridum, qui habebat manus post tergum revinctas. Sequabatur ipsum Gloriosus S. Michael, splendè ornatus, habens in manu lanceam, quâ illum feriebat. Ruit diabolus capite ad pavementum mei cubiculi, cum tam magno strepitu, quàm si caderet caput aneum. Lamentabatur vehementer, gubabatur, ac dicebat mihi: Compatere mihi, patior enim gravissima tormenta. Sanctus Angelus impetebat lanceâ ipsius humeros, cum magna indignatione, & mille illum lacebatur opprobrijs, dicebatq;: Hic est ille infelix, qui propter suam superbiam cecidit de Cælo; hic est ille draco septiceps, princeps tenebrarum, accusator Sanctorum fratrum; iste est ille spiritus malignus superbiæ, qui gravissimè persequutus est illum hominem (quem nominavit) in ejus prosperitate, provocavitq; ipsum & incitavit ad superbiam, atq; nunc in ejusdem adversitatibus eundem persequitur ac tentat gravissimè; iste mundum commovit contra illum, ac incitat omnes creaturas, ut eum persequantur, & condemnent, additq; animos ipsius adversarijs. Quia id audiveram, dixi: Angele Sancte, etiãne ipsum modò in illius adversitatibus induxit, ut laboraret? S. Angelus respondit: Non, Anima. Etiam si enim effecerit, ut titubaret, non tamen ut caderet, quæ est misericordia DEI. Et hoc dicens S. Angelus verberabat diabolum, donec illum compelleret descendere sub terram: atq; tum alij milleni diaboli prodibant & cruciabant ipsum, ut dum omnes unâ in momento absorberentur, nec illos ultra viderem.

Sanctus Angelus retulit gloriosam victoriam,

etoriam, totusq; comparuit ornatus. Gestabat pallium plenum gemmis, dixitq; illi: Sancte Angele, optimè te gessisti ac regulisti gloriosam victoriam. DEUS sit benedictus. Rogavi ipsum, ut mihi daret suâ manu, aliquod suum donum. Omnino dabo, quàm libentissimè, dixit S. Angelus; & admouens manum humero, avulsit unam gemmam ex pallio, quo erat coopertus, quasi cœruleam, & exporrectâ

manu illam ipsemet imposuit meo ori, ac dixit: Suscipe hoc donum ex mea manu, istud enim te confortabit pro toleranda Cruce, quam pateris, atq; sublevanda & corroboranda tua debili natura, quam habes prostratissimam. Et experta sum, ingens levamen in utroq;



CAPUT XX.

Quomodo DEUS voluerit uti ipsius operâ, ad inducendam in Hispanias Religionem Sanctæ Birgittæ, dixeritq; ei, ut moderaretur illius Constitutiones, accommodando ipsas huic Nationi, & his temporibus, quidq; illi ea in re eveniret.



In Octobri anni 1615. placuit DEO uti illius operâ, ut bene faceret multis animabus, cupidis vitæ perfectæ, introducendo in hæc regna Hispania Religionem Sanctæ Birgittæ, fundata in Regula S. Augustini, cum specialibus Constitutionibus, quas Christus Dominus revelavit isti Sanctæ, ut constat ex eo, quod dicitur in fine Libri ipsius Revelationum. Atq; similem in modum dignatus est Dominus etiam revelare ac dicere isti suæ famule ea, quæ ipsi erant addenda, vel demenda, aut mutanda in his Constitutionibus, ut illas accommodaret presentibus temporibus, & moribus, atq; consuetudinibus hujus Nationis Hispanicæ. Modum, quo id contigit, ipsa sic describit:

§. I.

ANte viginti circiter annos audiveram, aliquid dici de Religione Beatæ S. Birgittæ, cujus Fundatrix fuit eadem Sancta: sed deinde auditorum sum oblita, & rarò eorum fui memor, donec quodam die, dum agerem cum Domino, mihi dixisset ipseus Majestas, non constrin-

gens me ad id faciendum, neq; me urgens ad festinandum, sed concedens mihi ipsatium, cum magna suavitate, conformando se in hoc meæ naturæ verecundæ: Dic mihi, nonne mihi præstares quoddam obsequium, pro meo solatio? Constet tibi, quòd desiderem adducere ad hæc regna Hispaniæ Religionem meæ famulæ Birgittæ, utq; ista Religio, in ipsis innotescat & honoretur. Ad hoc autem te vellem assumere pro instrumento, ut tu, cum mea gratia & auxilio, quod ego tibi dabo, reformares, adderes, ac demeres in ejus Regulis, nonnulla, quæ ego tibi dicam, ac indicabo, eruntq; summè necessaria & convenientia ad majorem ipsius perfectionem, augmentum & incrementum, juxta dispositionem temporum, conditiones & naturas eorum, qui his temporibus, & in istis Nationibus vivunt: alligabisq; te etiam, quantum fuerit possibile, ad præcipuas Regulas Patronæ & Fundatricis, famulæ meæ Birgittæ. Ego respondi Divinæ Majestati, me esse ipsius ancillam indignam, ut faceret de me ac in me, quidquid esset conforme suæ Sanctissimæ voluntati. Verùm, quia mihi hoc dixit magis de eo mecum conferendo, quàm mihi id absolutè mandan-

Yyy 2

mandan-

mandando, cum sim naturæ tam meticulosa parumq; propensa, propter meam exiguam capacitatem ac virtutem, ad similia opera, totum dissimulavi, quasi auditorum immemor, quamvis re ipsa verè mea anima intellexerit, esse veritates, sibi dictas à Domino. Post aliquot abhinc dies quâdam nocte mihi Dominus secum agenti dixit: Scisne, quis sit futurus Patronus ac Fundator, quem ego desidero assumere, pro exstructione & sustentatione temporali hujus primi Monasterij, ejusdemq; Monialium, ubi singulariter amabor, honorabor, ac adorabor? Ego respondi: Non, Domine. Tum dixit Dominus: Noveris ergo esse talem (appellando ipsum proprio ejus nomine) cui præstabo istam gratiam, si eam voluerit acceptare, quia ipsius interest, multumq; illi expedit, ad obtinendam suam salutem, ut mihi exhibeat hoc obsequium. Atq; ob hanc causam, etiamsi deesset alia, non decet, te esse tepidam ac remissam in isto negotio tanti momenti.

Postquam mihi hoc dixisset Dominus, videbar mihi magis animata, & majorem spiritus fervorem concepisse, quia quando mecum agitur de salute animarum, mea anima intimè commoveretur. Transegi aliquot dies, orando semper DEUM, ut hoc opus dirigeret, sicut expedit ad majorem suam gloriam & obsequium, ac salutem animarum, disponderetq; illam creaturam, quam ad id designabat, ut crederet, quod Divina Majestas volebat, ac faceret, quod ipsius tantopere intererat, quia omnia metuebam. Tunc mihi dixit Dominus: Ne te propterea affligas: quia si ista creatura te non juvaret, ego designabo aliam, & alias, atq; si omnes tibi negarent auxilium, tu propterea non omitteres implere meam voluntatem, & quantum est in te, omnia, quæ ego à te vellem. Pete tamen à me, ut se disponat illa prima, quam designavi, ne se reddat indignam hac meâ gratiâ. Dixi enim tibi, quantum ipsius interest, ut salvetur cum magno meritorum augmento, utq; hoc auxilium suæ salutis habeat. Elapfi

fuere exinde aliquot dies, & aliquoties me impetebat ac invadebat aliquantum prædicta mea tepiditas, cum magna mea admiratione, nescientem, quæ esset hujus rei causa. Quâdam autem nocte, dum agerem cum DEO, dixit mihi Divina Majestas: Ne te affligas, neq; tua animangatur propterea, quod aliquando sentias, te nonnihil tepescere, ac deficere à fervore, in negotio tibi à me proposito: Quia judicia mea sunt altissima & occulta, atq; hoc potest accidere propter multas ac diversas causas, & plerumq; contingit meis Servis, ut experiantur hujusmodi tepiditatem ac languorem animi, ob exiguam vel nullam dispositionem eorum, pro quibus oratur, vel qui debent facere id, quod ego fieri volo, atq; hoc ego permitto, ex meis occultis judicijs. Audivi, quod mihi Dominus dixit, & conata sum abigere, hoc in casu tepiditatem, ac languorem.

Alio die manè, dum mea anima ageret cum DEO, post alia ipsi dixit: Quomodo vales, Anima mea? Quomodo fervet spiritus tuus in negotio & opere, spectante ad meum obsequium, de quo tibi his diebus tam prolixè sum loquutus? Nonne jam magno teneris desiderio, exequendi hujus operis? Adverte, me hoc velle, mihiq; in eo exhiberi rem gratam & obsequium. Tum ego respondi Domino: Domine mi, ac DEUS mi, ecce me ancillam tuam, & indignam servam, ut exequar in omnibus tuam Sanctissimam voluntatem. Doce me, & adjuva me. Bene habet (dixit Dominus) convertitq; sua Majestas sermonem ad alia. Ego vehementer sollicitabar, ac desiderabam exequi voluntatem DEI, quamvis expectarem, ut id mihi à sua Majestate absolute imperaretur, quod existimabam esse tutius in tanti momenti rebus. Biduo post, derepente me fuit alloquuta Divina Majestas suaviter, graviter, & cum autoritate, dicendo mihi: Marina, quid facis? quomodo internè es occupata? Adverte, nunc tibi volo determinatè loqui de negotio, de quo tecum his diebus egi, & mei Angeli, quò disponderetur tua anima & voluntas,

tas, ut svaviter ac libenter te subijceres, cum efficaci proposito, implendi meam voluntatem. Ac proinde tibi impero, ut finè ulla oppositione obsequaris meo beneplacito ac voluntati, quæ est, ut mandes exeqvutioni hoc opus mei obsequij & gloria, juxta ea, de quibus tecum disserui, & quæ mei Angeli tibi dixerunt. Ego obstupui, & fui vehementer consternata, subjeçiq; me, & obseqvuta sum voluntati mei DEI, meiç; Domini, semper rogans toto conatu, ut mihi concederet suum Divinum spiritum & lumen, quò in omnibus & per omnia me conformarem Sanctissimæ ipsius voluntati.

§. II.

Post hoc, dum aliquando manè agerem cum DEO, rogans, gloriosum Sanctum Dominicum, Sanctum Franciscum, & alios Sanctos Patriarchas, ut mihi impetrarent à Divina Majestate gratiam ipsius & lumen, pro assequenda semper & ubiq; illius Sanctissima voluntate in hoc opere, concernente ejus obsequium, conspexi Beatum Sanctum Augustinum, qui mihi dixit: Famula DEI, & amica Domini, hoc negotium, quòd tibi Dominus injunxit, magis ad me spectat, quàm ad illum alium Patriarcham, quia præcipua Regula Religionis, quam fundavit S. Birgitta, fuit mea, ideòq; in mea Domo, & in mea Religione te oportet invenire Religiosos, & Religiosas, quibus in ista nova fundatione possis juvari; id quod ego tibi promitto, quantum est in me. Audivi, quod mihi Beatus iste Sanctus dixit, & hæsi aliquantum, dixiq; illi: Bene est, Benedicte Sancte, gratissima mihi est ista tua charitas, & magnas tibi pro illa ago gratias. Ego vehementer desidero me conformare Divinæ voluntati in isto negotio, & obsecro te, ut mihi id obtineas à Divina Majestate. Interea fui abrepta, & non vidi amplius Sanctum. Postea mihi per inspirationem nominavit tres suæ Religionis Moniales, eximie virtutis, idoneas ad inchoandam istam fundationem.

Post paucos abhinc dies, nihil tale cogitans, vidi Sanctissimam Virginem Dominam nostram, & cum ea Sanctam Birgittam, quam ad illud usq; tempus nunquam videram. Extimui, more meo, & conata sum, quantum potui, me abstrahere ab ijs videndis. Recurri ad DEUM, sicut alias. Sed tandem fui coacta illas videre, & audire ea, quæ dixerunt. Sanctissima Virgo, magis mihi appropinquans, me est alloqvuta, & solata quàm blandissimè; ac deinde mihi fuit loqvuta Sancta Birgitta, agens mihi gratias pro eo quod feceram & faciebam ad honorem DEI, & ipsius Religionis, certam me reddens, DEO vehementer placiturum, si in istis Regnis innotesceret ejus Religio, extruererq; iste Conventus; ac addidit, quod etiamsi Regula ipsius dictata sit ore Christi Domini, fueritq; conveniens illi tempori ac Regno, ubi est fundata, & accommodata genio Nationis: nihilominus nunc, mutatis temporibus ac hominibus, & pro his Regnis expediat multa mutari, sicut mihi Dominus dixerat, atq; retentâ substantiâ Regulæ S. Augustini, ac suæ, quam ipsi Dominus dedit, quasi pleraq; esse mutanda, conficiendâsq; constitutiones accommodatas præsentì tempori, & oriundis in hoc Regno. Dixit mihi præterea, ne me consternarent difficultates, quæ mihi fuissent objectæ, omnia enim opera pertinentia ad Divinum obsequium, & res magni momenti, in principio eas habere, verumtamè complanâdas à DEO: atq; etiamsi fortè non sortiretur effectum hoc negotium, me nihilominus, ex parte mea, jam exequi Divinam voluntatem, idq; mihi sufficere. Taliter me animabat, & confortabat Sancta ad istud opus.

Post hoc, nocte quâdam, me Dominus incepit internè adstringere, ut progrederer in conscribendis Regulis, quas me Divina Majestas jusserat scribere, mihiq; suggererat. Et hæc vis interior fuit tanta, tamq; vehemens, ut etiamsi meam animam non coegerit, svaviter tamen illam induxerit Dominus suâ voluntate & omnipotentia, ut illo ipso momento, absq; ul-

Yyy 3

la ul-

la ulteriõre oppositione, conscriberem Regulas, quas mihi inspirabat pro istis Monialibus Sanctæ Birgittæ. Id quod feci, quia mihi Dominus valde apertè & clarè significavit, hanc esse suam Sanctissimam determinatam voluntatem, & istas Regulas esse animæ meæ inspiratas à sua Majestate, seq; solùm velle ac permittere, ut illas considerarem, & juxta Regulas nostræ rectæ rationis, ac viâ ordinariâ, si quæ difficultates occurrerent, eas ipsi proponeremus, se enim manifestaturum, suam voluntatem, illo modo, qui ei placuerit.

§. III.

Quid illi contigerit, scriptis Regulis.

Scriptis Regulis, dum aliquando manè sagerem cum DEO, dixi illi: Domine mi, jam finivi scriptionem istarum tuarum Regularum. Et respondit Dominus: Bene dixisti; sunt enim meæ, atq; ut omnimodè tibi persvadeas hanc veritatem, attolle oculos; aspice meum cor. Elevavi oculos animæ, defixiq; ipsos in Divina Majestate, ac in Divino illius pectore, vidiq; cum magno meo stupore, exaratas & expressas in eo Divino pectore omnes illas Regulas, quas Divina Majestas me jusserat conscribere. Erant scriptæ quasi arcano caractere, & quodammodo signatæ, & circumfusæ clarâ quâdam luce, quasi Divini cujusdam splendidissimi solis: quod mea anima vehementer fuit mirata, & abripiente ipsam Domino, secumq; uniente, videre desijt illud mysterium: quando verò ad se redijt, animadvertit, se optimè capere, penetrare ac approbare denuò illam veritatem.

Hoc autem tempore, quia eram fatigata scriptione istarum rerum, & vehementer affligebar à meis doloribus; siquidem me tunc diabolus præter morem cruciabat, mihi dixit Dominus: Creatura mea, anima te ad patiendum, & faciendam pro me opera difficilia, concernentia meum honorem. Hæc namq; opera, & ista

patientia simul sunt thesaurus immensi valoris, coram oculis meis. Eadem istâ occasione, mihi dixerunt mei Sancti Angeli: Assume animum, Soror nostra, ad exequendum hoc opus Divini obsequij, quia quod multum valet, multo constat. Non dimisit penitus ex oculis mea anima Divinam impressionem, & Divinum illum solem, quia deinde aliquoties prætereà mihi utrumq; manifestavit & monstravit Dominus, sempèq; in eo agnosco hanc veritatem.


Insuper, quando scribebam Regulas, exhibuit mihi Dominus figuram annuli, qui esset gestandus à Monialibus, cum dubitarem ex quali esset metallo, supposito, quòd S. Birgitta in sua Regula præcipiat, ne ferant quidquam constans ex auro vel argento, & agens hac de re cum Domino, vidi quodam die personam SPIRITUS SANCTI, sicut ipsum aliàs soleo videre, in specie cœlestis columbæ, quæ tota erat cooperata pretiosissimo velo; exerebat autem rostrum, in quo ferebat anulum, ac tum mihi dixit Dominus: Accipe istum anulum. Reluctabar vehementer, valdeq; renuebam ipsum accipere. Verùm appropinquans mihi SPIRITUS SANCTUS in dicta specie, injecit illum in meam manum, quem tunc non potui non accipere, vidiq; ipsum esse ex triplici metallo, & constare ex tribus partibus, quarum una erat chalybea, altera aurea, alia verò argentea. In chalybea erant scriptæ hæc literæ: *Ancilla*: ac deinde in aurea istæ: *JESU*; atq; in argentea: *Et Sanctissima ejus Matris*. Intellexi etiam à Domino, talem oportere esse anulum, gestandum à Monialibus. Aurum significat Charitatem; argentum Puritatem & Castitatem; & chalybs Paupertatem ac obedientiam. Hunc anulum retinuit meus Angelus Custos.

Verùm, ut ex eo jam tempore statim particeps redderetur ejus operis, eo modo, quo posset fieri, accidit, ut sequenti anno in Festo Sanctorum Cosmæ & Damiani, cum me hi Sancti Martyres visitarent, committantibus ipsos multis Angelis, mihi dicerent: Venimus nomine DEI, ut tibi adfere-

adferamus aliquod donum. Et quamvis ego renuerem illud suscipere, S. Cosmas inseruit meo medio digito manus dextræ annulum, qualem debent gestare Moniales Sanctæ Birgittæ, dicendo mihi: Dominus tibi mittit istum annulum, & hoc insigni te facit Monialem Religionis Sanctæ Birgittæ. Cum enim sis quodammodo Fundatrix istius Religionis, par est, ut fruaris beneficio Religiosarum, quæ illam profitebuntur. Ego vero dixi: Quomodo ego possum esse Monialis, quæ tam malè valeo, ut non possim emittere professionem, nec observare Regulas, neq; surgere ex hoc lecto. Ipsi autem dixerunt: Si Rex terrenus, iubendo tantum aliquem cooperire caput, illum creat Grandem, & si quempiam vocet Doctorem, facit, ut sit Doctor, licet non suscipiat gradum, melius poterit DEUS suâ voluntate ac potentia, per hoc insigne, quod tibi confert, te facere Monialem, quamvis non præstes id, quod dicis. Subito incepti cogitare intra me, qualis fuisset ille digitus, quem videram, quia non fuerat digitus corporeus meæ manus, neq; illi insertus erat talis annulus, & nihilominus vidi verum digitum. Ad hoc mihi responderunt Sancti sequentia verba: Adverte, quod sicut distillata per alembicum aqua florum ac olenitium herbarum, & cujuslibet alterius generis, est subtilior, defœcator, magisq; proficua pro necessitate ac sanitate corporum humanorum, quam aqua fluviorum & fontium, quæ est magis corpulenta, crassa ac terrea; ita misericordiæ & gratiæ, quas DEUS confert animæ hac viâ & modo, quo tibi, sint magis Divinæ, spirituales, & proficua ac securæ, quam illæ, quas sua Majestas præstat animæ, per speciem rerum exteriorum & corporearum. Quia priores communicat, manifestat, ac indicat DEUS animæ tam delicatè, modo adeo eminenti, & per secretum arca-

nissimum suæ Divinæ Sapientiæ, ut sit nobilior longeq; excellentior, quam modus, quo communicat posteriores. Fit præterea, sicut, si quispiam Rex mitteret suum servum ad annuntiandum aliquid, illi ipsi profuturum, quod ei claris & ordinarijs verbis diceret: vel si idem Rex volens conferre majorem aliquam gratiam alteri servo, illi sevocato ab alijs, secretè indicaret gratiam, quam animo destinavisset ipsi præstare, dando illi suum chirographum, ut quam primùm executioni mandaretur, quod ei gratosè conferret: tale discrimen est, suo modo, inter gratias internas, magisq; spirituales, quas dictum est à DEO præstari animæ, & illas, quas Divina Majestas confert modo exteriori & corporeo.

Quando hoc dicebant, vidi, non nihil eminens, duos diabolos, qui torquebant duas animas. Et interrogavi illos deinde, quid ibi facerent ij diaboli. Dixerunt mihi, torqueri ab ipsis animas duorum Tyrannorum, qui illos affecerunt martyrio, voluissq; DEUM, ut eò venirent, veluti testes ipsorum gloriæ, & propterea non exiguam ab ijs sustineri pœnam accidentalem. Deinde recesserunt Sancti, & vidi Sacratissimam Virginem Dominam Nostram; me verò adverti vestitam Scapulari, & præcinctam cingulo, quale est Monialium S. Birgittæ, dixitq; mihi Sacratissima Virgo. Ego te indui habitu, quem geris, tanquam Monialem meæ Religionis Sanctæ Birgittæ. Et postquam de alijs rebus fuissent loquuti, dixerunt Sancti Martyres Sacratissimæ Virgini: Domina, ista creatura est valde debilis, nec habet vires, pro diuturniore conversatione. Post hoc omnes abiverunt.



CAPUT

CAPUT XXI.

De ijs, quæ ipsi contigerunt cum DEO, in varijs eventibus, & mutationibus istius Foundationis.

Ostquam exactissimè aperuissem omnia hæcenus scripta meo Confessario, ut ea examinaret, desiderando quàm maximè assequi Divinas veritates & Sanctissimam DEI voluntatem, sempèr; id petendo à Divina Majestate, meus Confessarius etiam si me absq; omni dubio juberet credere, istas revelationes esse Divinas; tamen difficulter sibi persuadebat quædam ex his, ac in primis concernentia Patronum & Moniales, quas oporteret egredi pro ista fundacione, posse fieri & mandari executioni, eò quòd essent de se admodum difficilia. Atq; licèt diceret, potentia DEI, & ipsius voluntati nihil esse impossibile, adjungebat nonnulla, quoad hanc difficultatem, quibus mea anima vehementer angebatur, & affligebatur, quin etiam non nihil tepescebat. Recurrebam ad Dominum in his molestijs, proponendo ipsi istas difficultates, quas meus Confessarius habebat, quoad designationes Patroni & Monialium, aliaq; similia, me tamen esse paratam ad sequenda ipsius dictamina, ac spiritum, juxta beneplacitum Divinæ ejus Majestatis; ideòq; me esse afflictam & perplexam in his negotijs, quamvis considerem in Divina illius bonitate. Hæc & alia dicebam DEO, cum magna mea afflictione.

§. I.

Audiens Divina Majestas querelas meæ animæ, dixit mihi: Bene dicis. Ne te angas, neq; affligas. Et cum id, quod dixi, vobis videatur negotium tam difficile, secundum vestram prudentiam, ac rationem humanam, quod vos oportet facere, est, considerare id, quod vobis sug-

gesserit vestra ratio & bonus spiritus, cum desiderio præstandi, quod cedat ad meum honorem, ac sequendi meam hac in re voluntatem. Id enim ipsum ego approbo, vobisq; do meam benedictionem, si quidem pro mea potentia ac voluntate, perinde utar hoc illòve instrumento, ad exequendum opus, à me intentum. Quod tibi primà vice injunxi, feci propter altissimos fines, qui concernunt personas, quas ego designaveram pro isto opere, directo ad meum honorem, & incepistis mihi obtemperare. Verùm hæcenus non allaboravit tam seriò ac ferventer, quàm ego volebam, is, cui mea voluntas fuit intimata: ideòq; bene proceditis. Ne te affligas. Et adverte (dixit Dominus) me, si ex mea Divina dispositione, & altissimis Judicij ego decrevero, ut migres ex hac præfenti vita ad æternam, antequam perficiatur, imò inchoetur istud opus fundandi Ordinis Sanctæ Birgittæ, cupere, esseq; meam voluntatem ut personæ, à quibus id debet fieri & mandari executioni, obferent, ac sequantur in omnibus, quæ tu, me jubente, non innovaveris, (hæc enim ad literam sunt perficienda) ordinem ac modum primum, quem ego suggesti, & qui extat scriptus, ita enim fieri convenit, propter causas, quas hujus rei habeo.

§. II.

Aliquot annis post (in Januario anni 1623.) cum mihi primaria quædam persona aperuisset sua desideria, expendendi suas facultates in opera pia, ut ego dispicerem, quid mihi de ea re videretur, dixi illi meum judicium, ut id absq; omni dubio faceret, occurritq; meæ memoriæ fundatio Conventus Sanctæ Birgittæ.

gittæ, quem à pluribus annis DEUS optat fundari in istis Provincijs Hispaniæ. Quamvis autem Dominus designaverit personam, quæ posset Vallisoleti fundare istum Conventum, nihil tamen fiebat. Perplexa fui in ista cogitatione, an esset bonum, dicere isti Dominiæ, ut illum fundaret; agensq; cum meo Sancto Angelo Custode dixi illi: Sancte Angele, estne saltèm hæc mea cogitatio? Respondit: Omnino est tua procul dubio, sed est etiam DEI, quia est bona. Noveris, famulum alicujus Domini, si sit bonus ac fidelis & ingenuus, non expectare, donec illi Dominus aliquid aperte præcipiat, sed intellectam voluntatem sui Domini, vel ex signis, mandare executioni: ita DEUS tecum agit, qui tibi modò loquitur clarè, modò quasi per signa. Atq; hujusmodi est tua cogitatio, quia tibi id non dixit clarè, est tamen etiam ipsius, jam enim habes perspectam ejus voluntatem.

Post duas deinde horas venientem Sanctissimam Virginem cum S. Birgitta. Postquam illas conspexi, mansi nihilominus apud Dominum, quasi nescirem, ipsas adesse. Dominus autem mihi dixit: Soror, aspice meam Sanctissimam Matrem, & Birgittam, quæ cum illa venit. Dillexerunt se invicem, & hæc Sancta semper in suis necessitatibus recurrere ad meam Sanctissimam Matrem, propter quam, ipsiusq; intercessionem, ego illi præstiti multas gratias. Dic verò ei Creaturæ, ut fundet istum Conventum, & hanc rem mihi futuram gratissimam, atq; celsuram ad meum honorem. Inculta ipsi id bene, ac scias, velim, hæc regna indigere ista Religione. Atq; sicut in aliquo Regno, si corruisset munitio in ipsius ingressu, quâ poterant intrare hostes, ut propterea Regnum desolaretur, ac pateretur afflictiones; reperiretur autem quispiam fidelis Vasallus, qui erigeret munitioem, infcio Rege, suis impensis, pro Regni securitate, promereretur præmium, & gratitudinem Regis: ita, suo modo, indiget hoc Regnum aliquo præsidio, quod est Conventus hujus Religionis, quem ingredian-

tur meæ Sponsæ pauperes, absq; dotibus, serviântq; mihi ac placeant, & defendant Regnum suis orationibus. Si igitur ista Creatura hoc pro meo honore præstiterit, æstimabo factum, & in eo mihi multum complacebo, atq; etiam illud remunerabor. Deinde etiam Sanctissima Virgo me idem jussit facere, uti & Sancta Birgitta. Valedixerunt mihi Beatissima Virgo, & Sancta, ac remansi cum Domino. Ipse sit benedictus. Amen.

§. III.

Cùm dubitarem de colore & forma habitus Monialium S. Birgittæ, quia in earum Constitutionibus non exprimitur clarè, neq; reperiebatur quisquam, qui illum vidisset, à quo id possum rescire, recurri ad DEUM, rogans ipsum, ut me hac in re illuminaret eo modo, qui illi placeret. Quodam die mihi deperente comparuit Sanctissima Virgo cum Sancta Birgitta, induta suo habitu, quæ diductis brachijs mihi dixit: Vide, Soror, iste est meus habitus. Erat Sancta induta togâ coloris spadicei, qualis est color Patrum Minorum, intertextâ strijs albæ lanæ, ob quam nonnihil candicabat, & hic habitus erat conformatus ad modum illius, quem gerunt Moniales S. Dominici. Habebat cingulum ejusdem coloris, super illud gerebat scapulare cilicinum concolor, ac tandem pallium arctum cilicinum, pariter spadiceum, adstrictum nodo ligneo. Ut verò hoc melius viderem, DEI para, quæ ferebat tres partes habitus complicatas, expandit illas coram me, fuitq; toga, scapulare, & cucullus, quæ mihi ostendit, dicendo: Aspice, talis est habitus hujus Religionis. Viso cucullo, interrogavi Sanctam, quando esset illo utendum, & respondit mihi: Præcipuis diebus festis, & in Solennitatibus Natalis Dominici, Paschatis, & Pentecostes, præterea quando suscipiunt velum, & habitum Moniales, ac diebus Sacræ Communionis. Interrogavi ipsam etiam, quare ferret scapulare, cum in ipsi^o Sancta Regula nulla fiat illius mentio.


zio. Respondit, esse verum: Sed modò expedire, ut feratur, tum propter morem præsentis temporis, tum etiam majoris honestatis gratiã.

Alio die ingressus est meum cubiculum quidam Vir insolitæ magnitudinis; decoro tamen corporis habitu conspicuus, & nobilis ac venustus. Nec novi illum, verùm intellexi esse bonum spiritum. Dixit mihi, se esse Sanctum Christophorum, interrogavitq; me, an scirem historiam ipsius vitæ? Respondi illi, me eam scire. Tum mihi dixit, exercitium suum fuisse, transferre in suis humeris, per quendam fluvium viatores, & inter hos à se translatum esse Christum Dominum, ac à me pariter in meis humeris adferendam hanc Sacram Religionem ex Regnis exteris ad ista. Elevavi oculos in altum, quod sanè oportebat facere, quia erat valde procerus, & conspexi quendam puerulum formosissimum, ac splendidissimum in ipsius humeris.

§. IV.

TAndem post hæc quodammodo sollicitabar, & despondebam animum, licèt venerarer altissima & arcanissima Judicia mei DEI, videns foundationem Monasterij S. Birgittæ, quam Divina Majestas fieri jusserat & præceperat, non mandari executioni: imò videbatur omnino dissipari ac redigi in nihilum, spectatis omnibus, quæ oculi hominum possunt perspicere. Dum ità essem perplexa, dixit mi-

hi Dominus: Dic age, Anima, quare es ita meticulosa, & sollicita de hoc negotio? Nunquid fortè vis comprehendere, & assequi sublimissima Judicia meæ sapientiæ ac potentiæ, eaq; palmis metiri, adhibitis rationibus & modis humanis ac ordinarijs? Sufficiat tibi, fecisse, quidquid ego tibi mandavi, & injunxi hac in re, cætera verò committe mihi, cessentq; tui timores, & confusio: ac certissimò tibi persuade, omnia, quæ fecisti, vel dixisti, concernentia idem negotium, esse meas veritates, non autem aliquid vanum vel fictum. Audiens ista à Domino, quamvis ipsum agnoverim, propter meos solitos timores, illi dixi: Esnè tu, mi DEUS, qui mihi loqueris? sed statim fui pudefacta, metuens, an non commissem aliquem defectum, id dicendo. Tum mihi dixit Dominus: Ne angaris, Anima mea; neq; enim est mirum, quòd filius amans suum patrem, ac desiderans intelligere, utrum se Pater stans post aliquod velum vel parietem alloquatur, eundem interroget: Tunc ex, mi Pater, qui mihi loqueris? Ego verò dixi DEO meo: Hoc non est mirum, mi Domine. Sed ego te clarissimè agnovi, & non existentem post parietem aut velum. Et Dominus reposuit: Dico me cognosci, intercedente pariete, aut velo, propter differentiam, quæ inter hunc modum cognoscendi, & certitudinem intercedit ac eam cognitionem, quæ habetur de rebus Fidei.



CAPUT XXII.

Quomodo eam DEUS iusserit scribere tractatum
de virtutibus, ipsiq; exhibuerit admirabili modo Librum Sapi-
entia, ex quo illum desumeret.

Voluit quoq; DEUS, ut Venemibilis Marina iuraret proximos rebus varijs, quas illi inspirabat, & ipsam iubebat conscribere, pro futuris illorum animabus: atq; imprimis tractatum de differentia Virtutum imperfectarum à perfectis, nec non vera communicationis, quà DEUS anima aliquid reuelat, ipsiq; loquitur, & modis extrinsecarijs cum illa agit, ab ea, qua talis non est. Cuius rei ea erit occasio, quòd conuersarentur cum ipsa nonnullæ anime, quæ videbantur valde perfectæ, ac dicebant, se esse admodum familiares DEO, sibiq; evenire multa supernaturalia; cum tamen in multis deriperentur. Ità igitur ait:

Dum quodam die collecta agerem cum Domino, amando ipsum ex toto meo corde, abripuit me Divina Majestas in spiritu, & vidi in cælo librum, utcuq; grandem, collocatum in quodam quasi pulpito, dictumq; est mihi, quando mihi fuit ostensus: *Liber Sapientia DEI*. Ego tum id non curavi, sed post paucos deinde dies, quodam tempore matutino mihi dixit Dominus, se velle, ut ex illo exscribam tractatum, in quo aliquid doceatur & exponatur de statu virtutum, & qualisnam sit vera virtus ac perfectæ, qualis verò non a deo perfectæ, qualis item fucata & apparens; ac secundum hoc, quomodo possint dignosci revelationes DEI factæ alicui animæ, quales verò falsæ & apparentes provenientes à diabolo ac imaginatione. Quamvis autem sit verum, quòd me ego excusaverim, ne id facerem, dicens Domino, me esse mulierculam ignaram, imbecilem ac miserabilem, ideòq; non habere habilitatem aut capacitatem ad id præ-

standum, sed neq; ad alia, multò minoris momenti, nihil mihi tamen profuit: quia Dominus mihi dixit, quòd ipse ne esset docturus, ideòq; non metuerem, ne in hoc errarem. Et licet dixerim Divinæ ipsius Majestati, me id velle facere, quandoquidem ita iuberet, diceretq; quòd me esset docturus, necebam tamen moras, nec me accingebam ad opus, quoadusq; Divina Majestas, videns, me non inducere animum ad executioni mandandum quòd mihi præcipiebat, cum vellem aliquando scribere ea, quæ etiam ex illius voluntate soleo fecit, ut non possem, nec mihi esset possibile, destituereq; facultate, & omni appetitudine ac viribus ad id peragendum, sed viderer mihi esse tam impedita, quàm si carerem manibus & capite: atq; ita agnoscens, hoc esse opus DEI, & velle ipsum, ut scriberem, quòd mihi imperaverat, & ego recusabam, incepti scribere, quòd ab ipso fueram iusta. Antequam tamen id scriberem, cum essem collecta, abripuit me Divina Majestas in Spiritu, & reperi me in Cælo, ubi mihi spectandum exhibuit magnum & elegantissimum librum, exornatum purissimo auro, & pretiosissimis lapidibus, qui erat apertus super quoddam pulpitem, erantq; in illo expressa ac delineata, manu ipsiusmet DEI, ineffabilia mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Sacratissimæ Humanitatis Christi JESU Domini Nostri, ita ut in ea quasi lineari pictura, & imagine, sublimissimè cognoscerentur, modo tam Divino, qui omnis intellectus captum excedit, dictumq; mihi subito fuit, id quòd etiam in ipso cognovi. *Iste est liber Sapientia DEI, ex quo tanquam ex fonte, & vasto fluvio, emanant ac decurrunt rivi aquæ celestis Sapientia ad animas puras,*

puras, unde & tua tibi pars obringer, ut facias, quod ex te ipsa nec scis, neq; potes facere. Postquam cognovissem aliquid de Sacratissimis hujus libri Mysterijs, vidi venientem per illa cœlestia tabernacula, quandam Processionē ordinatissimam, Beatorum Cœli incolarum, quam sequebatur Majestas Christi JESU, ac Sanctissima ipsius Mater; & cum procederent, prætergrediebantur suo ordine, illum cœlestem librum. Primus ex ijs Sanctis advenientibus accessit, & conversus reverenter ad librum, qui erat apertus, substulit tantisper valde attentè ipsum intuendo, intelligensq; in tot illis Divinis Mysterijs plura indicari, quàm ut eorum posset assequi, aut penetrare magnitudinem, contraxit humeros, & progressus est ulteriùs. Deinde, suo ordine, reliqui sequentes, idem faciebant, quod primus, quorum alij percipiebant plùs, alij minùs, pro rata sapientiæ sibi communicatæ ab illo Divino fonte. Postquam multi transivissent mihi ignoti, advenerunt alij, quos agnoscebam, quia illos à me DEUS volebat agnosci. Primus fuit Gloriosus S. Laurentius Martyr, à quo, ubi cum magna reverentiâ accessisset ad Sacratissimum Librum, & ipsum aspexisset per attentè, adverti ab eo percipi multò ampliùs ex illis Divinis Mysterijs, quàm ab alijs Sanctis, qui transiverant: tametsi contrahens suos humeros sicut alij, indicaverit, se non posse assequi incomprehensibilem altitudinem eorum, quæ contemplabatur. Prætergresso Sancto Laurentio, venit Sanctus Apostolus Petrus, & post præstitam suam reverentiam, detinuit se ibi modicùm, aspiciendo librum cum magna attentione, intellexitq; longè plùs, quàm ullus reliquorum Sanctorum, qui præterierant, adeò ut ego mirarer tam sublimen ejus Sapientiam, & modum intelligendi illa Divina Mysteria: sed nihominus & ipse contractis suis humeris, quemadmodum fecerant cæteri Sancti, processit ulteriùs, significans, se non assequi omnem ipsorum sublimitatem. Postea venit Sacratissima Virgo, Domina Nostra, & appropinquavit cum profundissi-

ma reverentia sacro Libro, aspiciendo illum aliquamdiu quàm attentissimè, & cognovit Divina Mysteria multò sublimiùs, quàm omnes simul sumpti Sancti qui transiverant, quamvis & suo modo humeros contrahens, quasi non comprehenderet omnem illorum amplitudinem, processit ulteriùs, venitq; Majestas JESU Christi Domini nostri, qui se convertit ad Sacratissimum librum, & illum aspexit, statimq; intellexit, & comprehendit perfectissimè omnia mysteria in eo contenta, ac transivit, non contrahendo humeros, neq; ullum præbendo signum, quòd non comprehendisset integrè omnem illorum incomprehensibilem magnitudinem, imò significabat, ea à se comprehenditranquam ab eorundem Domino ac Authore, in cuius Divino pectore & Sacratissima Persona essent peracta, & continerentur. Postquam Christus Dominus transivisset, tota illa Sacra Sanctorum pompa abivit ad suum locum pacis, quietis, & gloriæ æternæ, cum Beatissima Virgine, & Majestate Sacratissimi ejus Filij, DEI, ac Domini nostri.

In ista revelatione advertendum est, quòd, etiamsi anima Christi Domini, ut potest Creatum, non comprehendat, quidquid complectitur liber infinitæ sapientiæ DEI, siquidem Creator non potest comprehendi à creaturis, quæ sunt limitatæ & finitæ, Persona tamen Christi Domini videat omnia & comprehendat, eò quòd sit etiam DEUS infinitus. Atq; sic intelligitur id, quòd dicitur in hac visione: quamvis enim non desint moderni Doctores, qui dicant, ab anima Christi Domini cognosci omnia creata, quæ continent iste liber; hoc tamen non suspicit, ut dicatur comprehendi ab eadem DEUS: nam illum non videt eo modo infinita claritate, quo DEUS videt seipsum. Advertendum est præterea, hîc dici de Sacratissima Virgine, cognovisse ipsam plus ex eo libro, quàm omnes Sanctos simul sumptos, quòd est valde conforme Sententiæ, quam existimavi verissimam, & fusè probat P. Franciscus Suarez in suo secundo tomo, in tertiam partem Sancti Thomæ, nimirum hanc Celsissimam Reginam habere majorem gratiam.

riam, quàm omnes Angeli & Sancti, qui sunt & erunt unquam in Cælo, simul sumpti habeant. Quid ista famula DEI ceperit ex hoc libro, patebit ex revelationibus & visionibus jam allatis, & alijs admirandis, quæ deinceps referentur.

••(•*•*)••

CAPVT XXIII.

De tractatu, quem iussu DEI conscripsit, de virtute perfecta & imperfecta, nec non de modo quo se DEUS communicat animæ.

§. I.

M

Ota igitur à DEO Domino Nostro, & ipso iubente ac volente, sine cuius iussu ac voluntate, miserabilis muliercula, qualis ego sum, tam rudis, & insufficientis, non potest tantum præsumere, ut quidquam loquatur & scribat, neq; par est, ut sit usq; adeo audax, dicam hac de re, id, quod me Dominus docuerit, cum ad hoc præstandum non habeam alios libros, neq; alium Doctorem, quàm Divinam Majestatem. Quantum igitur à DEO illuminata intelligo, dico, quòd, quemadmodum, est reperire aurum falsum & purum, & hoc ipsum purum aurum aliud est perfectius & prætantius alio, ita se habeant virtutes. Inprimis enim invenitur virtus falsa & apparens, sicut aurum falsum, quia licet anima sit plena vanitate ac inanitate, vult tamen præferre, ac præfert falsam quandam & apparentem virtutem, de qua mihi non est animus hoc loco multum disserere: qualis enim causa, talis quoq; erit illius effectus, & plerumq; erit vanitas ac mendacium, utpote proveniens ab anima vana, ac plena illius falsæ virtutis.

Prætermisâ itaq; istâ, volo agere specialius de alia, quæ licet non sit falsa, non est tamen etiam ex ijs, quæ mereatur nomen auri obrizi, & est virtus quædam qua-

si naturalis, propter id, quod habet admixtum, sicut aurum, quod non est omnino purum. Reperire verò illam est in nonnullis animabus, cujus principium, ac fortè etiam perfectio oritur ex natura, cum qua DEUS animam condidit, adeò ut hæc illius solius ductum sequatur, nihilq; suo proprio conatu acquisiverit, vel acquirat, neq; sit quidquam lucrata; verùm vitam agat tepidam, opereturq; duntaxat secundum naturam, quæ est à DEO prædita, non utendo ipsâ bene, ut illâ adjuvante assequatur perfectum amorem DEI, neq; cum ea naturali virtute, quam ipsi DEUS contulit, faciendo opera, quæ non tam ex perfecto procedunt amore DEI, quàm ex bona natura, & propensione. Anima hanc solam habens virtutem non est sufficienter disposita, ut DEUS in ea operetur istas speciales suas misericordias, de quibus nobis est sermo; ideoq; si quis habuerit hanc virtutem, & cum illa expertus fuerit huiusmodi inusitatas gratias, de quibus loquimur, equidem illis non multum credidero. Istam verò virtutem esse quasi naturalem & imperfectam, neq; ortam præcipuè ex perfecto amore DEI, intelligi potest ex eo, quòd hæc anima per omnem vitam sibi maneat similis, eodemq; procedat passu, absq; ullo progressu aut profectu in virtute, & perfecto DEI amore, quòdq; nunquam habuerit, nec habeat vincendas difficultates, sed neq; sui ipsius cognitionem, quæ illam immutet & convertat, atq; animet ac incitet, ad

Zzz 3

emer.

emergendum ex sua tepiditate & fociordia, ac ad progrediendum, ut cum ea naturali assequatur perfectam virtutem ac amorem DEI, quo caret. Ex his, & alijs huiusmodi, poterit cognosci imperfectio istius virtutis.

Præterea reperitur & alia virtus quasi naturalis, quamvis diversa à præcedenti, quæ inclinatur & naturaliter reddit bene affectam animam erga bonum, & omnem virtutem; adeò ut revera illam inquirat, ac optet prorsus seriò: cum enim virtus sit secundum se tam bona ac amabilis, ut æstimetur à quocunq; animo bene disposito, & prædico bonâ naturâ ac iudicio, fit, ut is qui hanc bonam habet naturam, interdum illius ductu sectetur virtutem, & quidquid illi videtur bonum, magno conatu ac promptissimè, eòq; amplius, si unâ adsit (quemadmodum fortè plerumq; accidit) quidam naturalis appetitus: atq; ut id faciat cum intimo ac secretissimo quodam desiderio proficiendi ac progrediendi altiùs, assequendiq; & possidendi, quidquid exoptat ac putat esse bonum, vel consentaneum rationi: unde fit, ut tum virtutem longè desideret efficacius & ardentius. Inter alia verò indicia, ex quibus possit intelligi, hanc virtutem non esse exijs, de quibus agimus, quæ sunt instar puri & præstantissimi auri, est istud. Si ista anima usq; adeò propensa in id, quod optat, quamvis sit, vel appareat esse virtus, & aurum purum, ut pro eo, quod cupit, obtinendo, videatur confici, si in quam advertat id à se tam vehementer ac immoderatè appeti, ut propterea vivat afflicta, inquieta, ac desolata, seq; nullo unquam solatio frui vel pace internâ. Ut verò possit is, cui incumbit cura talis animæ, ejusq; directio, cognoscere affectum, & reconditum ipsius statum (quamvis solus DEUS sufficiat ac possit illum reipsâ & verè penetrare) advertat, an eadem anima se interdum affectu & voluntate affigat quibusdam rebus, aut alicui, præter virtutem, quamvis non sit mala, qualis est amor alicujus rei specialis, sive sint divitiæ, sive honor, sive propensio erga co-

gnatos, vel aliud quid simile. Si aliquid ejusmodi adhæret tali animæ, signum est, quòd bona illa natura, de qua loquimur (quamvis ex se sola non habeat veram virtutis substantiam) etiam non excludat istum defectum desiderij & appetus immoderatè, quo fertur in id quod concupiscit, & vellet consequi. Quando hæc virtus est ac reperitur in anima, & ipsa existimat, ac dicit, se visitari à DEO & ejus Sanctis, fruiq; eorum alloquio, ego mihi non persvadeo, id esse verum.

Alia virtus invenitur, quæ est verè perfectissima, & instar illius purissimi auri, quod æstimatione nostrâ est omnium præstantissimum; hanc autem habet anima, cui ipsam DEUS est dignatus dare, & impertiri istud tam excellens & pretiosum cimelium. Hæc virtus respicit solum DEUM & perfectissimè ad illum tendit, proptèr q; ipsum operatur, & in eo solo conquiescit, illum solum habet præ oculis, ac ad eundem ex intimo corde fertur suis desiderijs, atq; affectibus. In quo modo exequendæ & exercendæ virtutis, nullum videtur habere locum bona natura, vel quidquam aliud, quod animam possit incitare ad peragenda ea opera & actus virtutis, præter solum DEUM ipsius ac Dominum, qui jam illam, quasi domum suam, possidet, ideòq; ab illo procedunt ejusdem animæ desideria, & ad ipsum revertuntur. Quodsi aliquando operâ diaboli, vel ex motu corruptæ ac vitiosæ naturæ, nobis congenitæ, quam semper nobiscum ferimus, instar gravissimæ crucis, quantumcunq; illam velimus refrenare ac domare, fuerit suscitatus in hac anima aliquis terræ motus tentationum & adversitatum, ut eo tempore omnia usq; deq; videantur verti, & natura sortagat pro domo sua, atq; aliquo modo videatur velle imperare, & subinde assequi suum finem in quibusdam reculis, ac præter fas, à pedibus modicum esse progressu ad manus: quando, inquam, istud evenerit in hac anima virtuti dedita, quæ instabiliter inhæret suo DEO, non proptèr ea cogitandum est, eam virtutem non esse per-

se perfectam, aut non esse bene fundatam in anima, quæ potius proculdubio inde evadet firmior ac securior, perfectior, atq; fortasse gratior oculis sui DEI & Domini, per poenitentiam, ac dolorem de admissis peccatis, & clariorem cognitionem suæ miseræ ac vilitatis, nec non bonitatis DEI, qui illam tolerat, & non punit. Atq; unum è veris signis, quæ haberi possunt, pro agnoscenda vera virtute, est hoc, si per DEI misericordiam, & ipso adjuvante, elicit prædictum fructum ex defectibus, in quos labitur pro sua miseria, & quidem subinde, ac sæpe DEO id permittente, ad majus bonum hujus animæ, quam Divina Majestas tantopere amat. Unde utiliores aliquâ ratione existimo esse hos defectus, quia DEUS ex ipsis frequentius, pro sua bonitate ac Sapientia, elicit exsuperantiam honorum, quam ex illis quasi excessibus virtutis, de quibus loquebamur, earum animarum, quas non movet tam perfectè ad operandum solus amor DEI, sed illæ causæ & natura, de quibus nobis sermo fuit. Aliud signum veræ virtutis & perfecti amoris DEI est, quòd anima, quæ illam habet ac possidet, nunquam affectu adhæreat ulli rei terrenæ, sed omnia substernat pedibus, solusq; DEUS ipse & Dominus, sit illius bonum ac divitiæ, & principium in omnibus rebus, atq; ultimus earum finis. Dico autem, affectu. Quia poterit ubiq; fieri, ut patiat aliquos insultus, quibus tamen non prosterneretur, & licet modicum attenuetur, Divinâ nihilominus gratiâ subveniente, non conquassabitur.

§. II.

DEclaratis jam his virtutibus, earundemq; discriminibus, dicam modò, Divinâ aspirante gratiâ, quod mihi magis propositum est, magisq; vult DEUS. In primis, quod attinet ad primam falsam & apparentem virtutem, de qua sum loquuta, non est, cur tempus in ea exponenda teratur, quia, sicut dixi, quidquid provenit ex mendacio & vanitate, plerumq;

erit mendacium & vanitas, nisi aliquid accidat insolitum, eò quòd infinita Sapientia DEI vellet, ex suis incomprehensibilibus judicijs, se manifestare & communicare, ac pandere suum secretum, ob sublimem aliquem finem, illi animæ miserabili, & exosæ ejus oculis, propter ipsius peccata, & vanitates, quemadmodum Divina Majestas egit cum Sancto Paulo, persecutore suæ Ecclesiæ: adeòq; si DEUS aliquando tale quid fecerit, quantocius apparebit, ipsum esse authorem istorum mirabilium, & hujus operis, ex effectibus, quos producet in ea anima, id quod fiet, quando illam illuminabit, ut se cognoscat, & emendet sua peccata ac vanitates, amplectaturq; effectum & substantiam boni in eo, quod ipsi est revelatum, ac dictum nomine DEI.

Quod concernit virtutem quasi naturalem, quam dixi, reperiri, & esse in quibusdam animabus, ab ipso earum exortu (quæ est specialissima misericordia, quam illis DEUS præstat, dum eas creat cum illa bona natura, quæ est excellentissima dispositio, pro perfectè exequendis operibus, spectantibus ad ipsius honorem, modò illâ scirent bene uti) dico, me non existimare, esse sufficientem dispositionem istius animæ, quod jam dixi, ut DEUS illam visitet, vel in ipsa peragat hæc peculiaris suæ misericordiæ opera, de quibus loquimur; atq; si dicat, se eas habere, ego illi non multum credo, quia ordinariè se communicat DEUS ejusmodi animæ, ita ut ipsi det inspirationes, quibus incitata progrediatur, proficiendo in virtute, emergatq; ex ea locordia, in qua vivit, & conetur, utendo suâ bonâ naturâ, tendere ad assequendam verè perfectam virtutem, & perfectum amorem DEI. Dabit quoq; illi Divina Majestas frequenter magnum gustum, ac suavitatem in meditatione, & ponderatione mysteriorum sanctissimæ ipsius vitæ, & mortis, idq; tantum ideò faciet, ut illam juvet pertingere ad finem, quem Divina Majestas desiderat. Siquidem enim illam DEUS amat, amatq; jam inde ab initio, & propter hunc amorem,

amorem, quo erga illam ferebatur, ipsamque; propter suam bonitatem respexit oculis misericordiae suae, ut illi daret istam bonam naturam ac dispositionem pro majore ipsi profectu; nihil dubito, quin eandem sit semper adjuturus istis suis gratijs, ut hac ratione bene afficiatur erga Divinam Majestatem, atque erga id, quod est perfectius in virtute: qui est usitator modus, quo se DEUS tali animae communicat. Alia verò ista specialia timeo, ne abluant à vero: sed quia non est admodum perfecta, nec habet tantam cognitionem tum sui ipsius, tum Magnitudinis ac Sapientiae Divinae, & experitur sibi fieri illam gratiam interdum à DEO, de qua loquor, sumit inde fortassis occasionem, quia non est adeò sapiens, & parum intelligit, dandi locum imaginationi, sibique; persuadendi, eam, quae est visio imaginaria, esse intellectualem, & spiritum proprium, esse Spiritum DEI; atque; etiam diabolus conatur se hinc ingerere, quam maximè potest: quorum nihil fieret, si haberet veram cognitionem tam necessariam. Videret tum & cognosceret se non mereri, nec esse dignam istis honoribus, vel his visitationibus, & allocutionibus Divinis, neque; etiam ipsi talia modò convenire: sed procederet, quoad rem praesentem, vià ordinariâ. Hoc mihi videtur de statu istarum animarum, loquendo in genere, & sicut ordinariè solet fieri: quia nihil volo dicere de casu aliquo extraordinario Divinorum judiciorum: atque; si is eveniret, existimo non defutura indicia clarissima, per quae agnosceretur, esse DEUS author operis, ex ijs, quae in tali anima ageret, vel per alia bona, quae inde resultarent. Tamen, licet hoc sit verum; & ego ita esse credam, audeo affirmare, me citius de bonitate DEI credituram, loqui, & loqvuturam aliquando divinam Majestatem illi animae seduetae, de qua disseruimus, propter aliquem valde sublimem ac necessarium finem, quam isti, de qua nunc ago, idque; ob duas rationes. Una, & praecipua est, magnitudo Divinae bonitatis, propter quam dignatur Divina Majestas oculis mi-

sericordiae suae respicere illam animam perditam, ideòque; indigam ipsius gratiae ac misericordiae, quae absque; tali Divina vi, taliterque; operante potente manu DEI, procul dubio periret, manerétque; perpetuo immerfa illis suis miserijs, & mancipata diabolo. Altera ratio est, quia aequum est, ut Divina Majestas subinde tam magna opera faciat, pro animandis & consolandis peccatoribus ac imbecillibus, idemque; conducit ad majorem ipsius gloriam, ut hac ratione magis agnoscat eam bonitas & potentia infinita, ac magnitudo & omnipotentia, quae potest quicquid vult, & absque; ulla aliorum injuria, alijs praestat magnas gratias: quae omnia non ita habent locum in statu harum animarum, de quibus modò sum loqvuta. Ac proinde, ut est DEUS tam sapiens ac bonus, existimo & credo, quòd sua opera peragat, ubi sunt magis necessaria ac proficua animabus, & ubi ex illis derivari potest majus bonum in mundum, atque; major gloria in suam Majestatem.

§. III.

Altera virtus, quae etiam non est sufficientis dispositio, ut DEUS in anima operetur has speciales suas gratias de quibus loquimur, est, quam dixi moveri magis à proprio appetitu & vehemente natura ac privato commodo, etsi non malo, quam à DEO, licet id non agnoscat, nec bene intelligat, quod quidem forte est maximum ipsius malum, summumque; inconveniens, quòd minus progressum faciat in virtute, si nimirum non cognoscat suas passiones. Ideòque; existimo, si haec anima diceret, se visitari à DEO, & ejus Sanctis, cum iisdemque; loqui, similiter, me non multum id credituram: cum sit certissimum, quòd DEUS se nunquam communicaturus sit hoc modo animabus tam imperfectis, nisi in aliquo extraordinario casu; id quod rarissimè eveniet, quando Divina Majestas voluerit ostendere suam bonitatem, & sapientiam, in manifestando aliquo suo arcano isti animae, ac affi-

mere talem personam pro suo instrumento, ad peragendum aliquod grande opus, & valde utile ac proficuum animabus, propter talentum ac dispositionem, quam Divina Majestas forsitan in ipsa reperit, capacitatis & virium, ut aggrediatur magna, quia natura istius animæ vehemens & quasi præsumptuosa est secundum se ad tale aliquid agendum disposita. Etiam si enim verum sit, DEUM non indigere, ut faciat, quod vult, istis præparationibus ac dispositione, sed posse optimè, & absq; ulla difficultate, idem facere in alia anima, prædita perfectiore virtute, licet caret istiusmodi dotibus naturæ; amat nihilominus Divina Majestas, quasi suum ordinem & cursum rebus relinquere, & eadem opera præstare plura, quod hic Divina Majestas agit: quia ex isto opere resultabit auctior virtus istius animæ, & solatium ijs, qui sunt imbecillæ virtutis, nec non summa gloria Divinæ Majestati.

Sed præmissis his admirandis DEI operibus, & istis tam raris ac insolitis casibus, ut loquar de eo, quod communius & plerumq; accidit, dico, me his animabus adhuc amplius metuere, quam præcedentibus, ne seducantur à diabolo? quia sunt magis dispositæ, ut ab ipso decipiantur, ob illum naturalem appetitum impetuofum, quo feruntur ad desideranda majora, & præstantiora, dum sibi videntur, à bonitate eorum, quæ desiderant, reddi securæ, & non considerant fundum ac radicem cordis, unde pullulant hæc desideria, & iste appetitus virtutis; quæ radix fortè non est solus DEUS, etsi id ipsæ non bene percipiant: siquidem perfecta desideria animæ, ac inprimis ea, quæ tendunt ad perfectam virtutem, debent incipere, atq; etiam desinere in solo DEO: nisi enim id fiat, est opus valde imperfectum, multumq; illi deest. Et in hoc non oportet animam admiscere quidquam desiderij rerum eximiarum, quas sibi soli optet, sed necesse est, illam sic dispositam esse ad desiderandum perfectè ac verè DEUM, ipsiusq; gloriam & voluntatem, ut si Divina Majestas vellet (quod quidem non vult,

neq; omnino volet) dare illi modicam virtutem, hæc ei sufficiat, seq; humiliet ac sincerè allaboret, ut inquirat & assequatur perfectam virtutem, in qua invenitur DEUS, ac ejus amicitia & gratia, quæ sola satiat animas, verè ipsum quærentes ac desiderantes. Dico autem has animas esse magis dispositas, ut seducantur illusionibus diabolicis, quia propter vehemens illud & immoderatum desiderium, quo volunt indipisci virtutem, & in eo excellere, dum ipsis videtur esse virtus, & non vitium, id quod cupiunt, ideòq; in hoc non esse servandam mensuram, subintrat diabolus, suggerens ipsis, nihil ab illis desiderari, nisi quod sit bonum, cuperèq; eas quàm maximè servire DEO, atq; dum illis id persuadet, occultat, quod subest his desiderijs, estq; admixtum: ac proinde conatur ipsas alloqui, ac decipere dissimulanter, & inducere, ut hoc libenter habeant, ac desiderent, quò postea possit melius præstare, quod consuevit, ipsasq; seducere aliquibus mendacijs: dicit illis, optimum esse & convenientissimum, desiderare, quod bonum est, magisq; proficuum propriæ animæ, & conducibilius ad gloriam DEI: atq; cur id non posset desiderari, ut ipsis DEUS dignetur tantam dare virtutem, quàm promereantur, ut DEUS illas alloquatur ac visitet. Sed probus ac discretus Confessarius (quo utroq; ipse summè indiget, ut possit de hoc negotio ferre iudicium, adeò ut si id illi deesset, maximè verò prius, ego nollem habere talem Confessarium) agnoscat hæc alloquia esse diaboli, ex substantia virtutis istarum animarum, quam poterit inde intelligere, si modicum, vel nullum fructum aut commodum istæ animæ capiant ex his alloquijs. Imò si rem bene expendat, videbit & agnoscat, quòd in dies agant profundiores in ipsis radices illi defectus, & augeantur. Hæc enim sunt commoda, & hi fructus, quos anima percipit ex istis alloquijs, ac malà linguâ diaboli, & ex his ipsius dolis ac illusionibus: quæ quidem ratione illam conatur perdere, ipsiq; impedire misericordiam & gratiam

Aaaa

quam

quam, meâ opinione, DEUS istis animabus præstaret, visitando illas ex sua bonitate, & magno amore, quo erga eos fertur. Quod autem illis crederem, si mihi, se id habere dicerent, esset: inspirari ipsis à DEO secretè ac suaviter, quod Divina Majestas videt & cognoscit, ijs esse necessarium, juxta ipsarum naturam: hoc enim faciet Divina Majestas semel atq; iterum, ut ita; ubi adjunctæ fuerint ab ipsius misericordia, illis obveniat pax bonorum ac verorum desideriorum, paulatimq; amoliantur, quidquid est nimium in natura, & amplectantur, quod est verè perfectæ virtus, ac perfectus amor DEI. Etiam hæ animæ non sunt dispositæ, meo judicio, ut se illis DEUS communicet cum benedictionibus dulcedinis. Hoc est, quod mihi videtur, de istis animabus.

§. IV.

Quod attinet ad postremam & perfectam virtutem, quam dicebamus, esse instar præstantissimi auri, ajo, illam esse optimam & excellentissimam dispositionem, ut DEUS in ea anima, quæ ipsam habet, operetur, ex sua bonitate & sapientia ac misericordia, istas singulares gratias, de quibus loquimur, visitando illam per se ipsum, ac per suos Sanctos, & communicando se ipsi, manifestandq; illi sua Divina & cœlestia arcana, ut ita delibet, atq; aliquomodo probet, id, quod ex ipsius bonitate ac misericordia habitura, & quo fruitura est in Cœlo. Et hoc usq; adeò verum est, ut mihi id persuadeam de bonitate DEI indubitanter, nullam ex istis fortunatis animabus, quæ sunt consecutæ hanc perfectam virtutem (per bonitatem ac misericordiam DEI, cui ipsæ cooperantes faciunt modicum illud, quod possunt) fore, cui non præstet Divina Majestas aliquas hujusmodi suas gratias, plures vel pauciores, pro Sancta sua voluntate & infinita Sapientia, ac dispositione talis animæ, excepto aliquo casu speciali & extraordinario, quo DEUS velit, propter causas suæ Majestati notas, ducere quam-

piam animam aliâ viâ, non adeò tritâ & usitatâ: communiter autem, & ordinariè facit Divina bonitas, quod dico, & quantum perfectiorem ac sublimiorem virtutem habuerit anima, tantò familiarius, meo judicio, aget cum DEO, & Divina Majestas cum ipsa, tantq; plura suscipiet ex ipsius manu dona ejus specialia ac Divina. Quod si DEUS se non multum communicet animabus, non aliam equidem esse causam existimo, quàm imperfectam earum virtutem. Siquidem DEUS & ejus bonitas semper sibi est similis, & invariabilis, neq; mutare posset, vel mutavit unquam suum agendi modum, & bene novimus, quales misericordias Divina Majestas præstiterit animabus virtute præstantibus. Ideoq; si anima, quæ talem habuerit perfectionem virtutis, qualem ista, de qua sumus loquuti, ac dixerit, quòd ipsi loquatur DEUS, & visitet illam, ac ipsius Sancti, seq; ei communicet, dico, me id credere, & esse verum. Licet enim diabolus sæpe attentet, req; ipsa conetur, se transfigurare in Angelum lucis, si quâ ratione fortè illam possit decipere, quemadmodum cum pluribus Sanctis egit multis ac diversis vicibus; id tamen ita fiet, ut confidam in bonitate DEI, & in amore, quo Divina Majestas ipsam amat, non eventurum id quod ipse intendit: & quamvis in principio, dum adhuc potest esse aliquid hujus rei periculum, attenuetur, non tamen cõfringetur, sempèq; spero in DEO, & in ipsius bonitate, fore, ut plerumq; diabolus in hoc certamine pudeat ac vincatur: quia Divina Majestas specialem omnino gerit curam talis animæ, neq; illam relinquet inter dentes ac dolos suorum hostium, atq; etiam ipsa semper illum sequetur, & quæret, ideòq; bene ei succedent omnia: quod dico, ac intelligo etiam de ijs, qui se incipiunt impendere perfectæ virtuti (siquidem eadem perfectæ virtus habet suum principium, suum medium, atq; id, quod videtur esse ipsius finis, propter sublimitatem) quia de alijs istis animabus perfectis, & robustiore virtute præditis, amplius habetur certæ speciei, haberiq;

beriq; potest, spectatâ DEI misericordiâ: sunt namq; jam quasi serui antiqui in domo sui Domini, & instar filiorum familiaris in domo sui Patris, vel instar Sponsæ sui dilecti Sponsi ac Domini, quas ipse novit, intimèq; habet perspectas, & scit ac intelligit, quales sint, novitq; ipsas ex loquela, ac earum moribus, & modo, quem in agendo observant; illæ quoq; percipiunt & intelligunt hæc opera ipsius misericordiz, quomodo ea faciat, & peragat in anima. Unde anima, quæ, per DEI bonitatem, assequitur talem virtutem & familiaritatem cum Divina Majestate, procul est progressa, ad discernendam malam diaboli linguam, dum penetrat magnum discrimen, quod intercedit, inter communicationem ac modum agendi sui cari Domini, qui est unicum ipsius delictum, & malam linguam dæmonis. Neq; solum ex alloquijs & communicatione id agnosceretur, sed etiam ex illis, quæ consequuntur; & effectibus, quos operabuntur in anima, tanquam omnium verissimis signis, ex quibus cognoscuntur ac discernuntur spiritus. Unde anima amans hoc modo suum DEUM & Dominum, ipsumq; intelligens, sequitur illum, sicut innocens ovis sequitur sibi solum sui boni pastoris ac defensoris, fugitq; hostem, qui illum vult rapere ac deripere: ideòq; hæc anima protegatur ac defendatur ab isto Divino & supremo Pastore, Domino, & Sponso suo.

§. V.

Signa pro discernendis his spiritibus mihi videntur esse ista. Primò, Spiritus DEI, est Spiritus veritatis, bonitatis, & amor sapientiæ, ac pacis, suavitatis & consolationis, fortitudinis & perseverantiæ in eo, quod dicit Divina Majestas, ac imperij & dominij, quod Divina Majestas habet atq; exercet in animam, cui se ita communicat, ut, nullam ei vim inferendo (in ijs, ex quibus agnoscere potest & intelligere id, quod ipsam vult docere, eiq; manifestare de suis Divinis secretis) suaviter, & cum solatio ac sine afflictione, hæc illi præstet, eâ ratione, ut quamvis se veller ab-

strahere à videndo & intelligendo, quod ipsi DEUS vult exhibere ac manifestare, omni præcisâ morâ, non permittat ipsam id facere. Atq; post hujusmodi communicationem & visionem DEI, ejusq; Sanctorum, sentit anima solatium, quamvis illam diabolus conetur eo tempore aliquando perturbare, ipsiq; in ea reingere dubia ac timores, cum hoc non videatur posse alio modo efficere: maximè verò si talis anima sit timida, impendet in id, quas potuerit, vires. Sed quia iste nimius timor provenit à diabolo, evanescit quàm citissimè, instar fumi, & anima abundat solatio, sicut dixi. Præterea, admirans tantam sapientiam ac bonitatem, talèmq; agendi modum illius supremæ Majestatis, & communicationem, quâ pandit sua arcana animabus, amplius exardescit Divino ejusdem amore, & se plus humiliat, ac in dies proficit in sui cognitione, magisq; obliviscitur rerum terrenarum, & eas deserit, adeò ut cum illis gratijs, quas ipsi DEUS præstat, quotidie, quasi sensim sine sensu, crescat in ea perfectione virtuosæ vitæ, quam agit, excelatq; in ijs admirandis virtutibus. Et hoc est præcipuum signum, DEUM esse Magistrum ac Authorem ejus operis, idèmq; ab ipso procedere. Ille verò effectus admirationis, quem dixi, sentiri ab anima, dum se DEUS taliter communicat, mihi videtur, esse semper vehementior, sub initium illius Divinæ communicationis, quàm, dum jam Divina Majestas familiaris cum illa agit & frequentius: verum amor & sanctus timor DEI, atq; circumspectio & reverentia, quam debet habere in omnibus operibus, quæ facit, concernentia honorem DEI, ac in misericordijs & gratijs, quas ex Sanctissima ipsius manu suscipit, crescit indefinenter. Contrarium his omnibus efficit diabolus suis alloquijs, & mendacijs, ac malâ linguâ, cujus talia, quantumcunq; ea velit dissimulare, in ipsa relinquit vestigia & effectus, dum illam alloqui, atq; id facere audet, ut cum DEI gratia, quemadmodum est dictum, bene cognoscantur in talibus animabus.

Hoc est meum iudicium, de statu istarum animarum, quas DEUS, ex sua bonitate, tantopere amat; propterq; hunc amorem, quo eas complectitur, nisi habeat extraordinariam & specialem causam (qualem diximus, Divinæ Majestati posse suppetere, ut se communicet, ac manifestet aliquod suum secretum animabus, non adeo perfectis) aliūve finem: propter illam suam infinitam bonitatem, inquam, & eum magnum amorem, quo Divina Majestas illas amat, & amorem, quo ipsæ vicissim illum diligunt, dignatur, & vult, estq; ipsius voluntas, communicare se illis eā ratione, eandemq; visitare, per se ipsum, & suos Sanctos, ad eum modum, quo magnus Princeps & Rex ac Dominus se posset aperire, & pandere sua secreta aliquibus ministris domesticis, sibiq; unicè familiaribus, propter alterutram istam causam: Primo, ut committeret alicui suo ministro exequendum, vel aggrediendum negotium magni momenti, unde sit emerfurum aliquid valde proficuum, & bonum pro ipsius statu, & Regno ac Domo: Secundo, non quidem ideò, neq; eo fine, sed quia illum tantopere amat, ut ob hunc solum amorem, quo ipsum prosequitur, nullo alio habito respectu, propè nihil habeat in suo pectore seu corde, quod illi non manifestet, cum eòq; conferat & ipsi communicet, atq; hac re delectetur; nec non ut ei satisficiat in omnibus, quæ voluerit ac petierit, eo quod sciat, & optimè noverit, se ab hoc suo ministro, sibi intimè familiari, ex toto corde ac anima amari, & illum quantum in eo est optare, majorem ipsius honorem, & gloriam atq; incrementum ejus Domus, ac Ditionis & subditorum. Adeòq; iste Rex & Princeps, tanquam Dominus absolutus suæ Domus, & Ditionis, ac suorum ministrorum, jubet quod vult, ac agit pro suo beneplacito; & amat, vultq; hujusmodi bonis & fidelibus, ac sinceris ministris gratificari, & favere, ac rependere tam munificè illum ipsorum amorem, & fidelitatem, eamq; bonam voluntatem, quā illi serviunt, communicando se ipsis eā ratione, præstan-


dòq; illis tam cumulatam gratiam. Ita se gerit Noster magnus DEUS ac Dominus, Rex & Princeps Supremus Noster, erga suos servos & familiares, quales sunt hujusmodi animæ, quia ipsum taliter amant, eiq; serviunt quantum, & cum eadem fidelitate ac promptitudine, ut darent, exponerentq; pro illo suam vitam, & mille vitas, si eas haberent, quod totum ijs videretur esse parum, propter magnum amorem, quo ipsum prosequuntur.

§. VI.

Reliquum jam est, dicere, quòd plurimum in eo consistat, ne Pater Spiritus erret, in regendis ad gloriam DEI istis animabus, & in cognoscendo earum statu, ut non careat tribus maximi momenti rebus, quæ ad securè in hoc negotio procedendum requiruntur, & sunt necessariæ. Prima est, perfecta virtus & charitas, quā DEUM toto suo corde amando, amet pariter animam, quam Divina Majestas commisit ipsius curæ, ut sit illius Magister ac Dux in via virtutis, nihilq; aliud in illa desideret ac velit, nisi quod DEO fuerit gratus, magisq; conduxerit ad gloriam Divinæ Majestatis. Secunda est, prudentia ac discretio maxima, ut sciat æstimare & expendere debite ea, quæ conveniunt statui illius animæ, animadvertendo, non absq; attentione & oratione, procurandòq; quàm optimè poterit, ut cognoscat & intelligat ipsius virtutem ac Spiritum, neq; fidendo aut credendo facile omnibus, quæ primà fronte illi visa fuerint, esse virtus & spiritus: quia si hac in re intervenit dereptio, fit, ut inde sequantur gravia mala ac damna illius animæ, quæ longum esset referre. Ideòq; unum tantummodo dicam, quod est, meo iudicio, summum, videlicet, diabolum, quando hac viâ ducit aliquam animam illusam, quasi indies magis ipsi dominari illamq; occupare, & quodammodo capere possessionem ejus domus, ut sensum sine sensu ipsam destruat, ac tandem cum conveniat aliquibus suis mendacijs. Hoc, & alia

& alia magna damna adfert istud malum, & hæc deceptio. Tertium, idq; præcipuum est, ut sit vir præditus spiritu & familiaris DEO, qui hoc modo cognoscat & intelligat, quid sit spiritus, & quid sit, agere cum DEO, neq; omnia damnet, & fortè animas Sanctas, quas DEUS ex sua infinita bonitate visitat, quibuscq; se communicat, & quas docet, vitam suam instituere juxta obedientiam, & alienum iudicium, affligat ac turbet, & ne, quantum est in ipso, id faciendo, impediatur ea, quæ agit ac operatur Spiritus Sanctus, continuè illis resistendo. Licet enim verum sit, à nemine posse impediri opera DEI, neq; ullum esse tam potentem, nam deniq; manifestabuntur, & patefient ipsius opera, & magnalia; nihilominus vult Divina Majestas, ne illi reipsa obsistamus, neq; taliter repudiemus ejus opera & bonitatem, sed ut agnoscamus, ipsum esse eundem Dominum, qui semper fuit, haberetq; eandem bonitatem, quam semper habuit, & sicut novimus, quod ex eadem similiter illum posse ac velle se communicare nunc animabus quas amat sua bonitate se communicaverit multis animabus, quia illi verè serviunt. Nisi enim hac in re adfit Sancta, discretio, neq; Confessarius velit ad hoc attendere, vel id curare, etiamsi DEUS se non sit ab ista anima absentaturus quoad id, quod illi magis expediverit, fueritq; utilius, cum ab ipsa repellitur, ut ei obediat, eò quod illam jubeat obtemperare suis Superioribus ac Magistris: imò, quia ipsam amat, feret illam in oculis & consolabitur, providebitq; ei suo tempore de alio

Magistro: tamen dum Divina Majestas ita permittit illsigi istam animam, ad majus illius bonum, subtrahet suum lumen, ut puniat illum defectum, quem committit ipsius Magister, manebitq; in ea deceptio & obscuritate, ita ut non videat, neq; intelligat illuminationem DEI, nec specialia opera ipsius munificentiae, & bonitatis ac misericordiae atq; amoris, quo Divina Majestas amat animas: quæ si ab ea cognoscerentur & intelligerentur, fortè illi multum adferrent emolumenti & boni, non solum pro ipsius anima, sed etiam pro alijs animabus, cum unâ candelâ accensâ, soleant accendi multæ: verum si ab aliquo obtegatur modo prædicto, extinguere enim illam hac ratione non erit possibile, non poterit emittere tam clarum lumen, neq; tam facile accendere alias; idèq; oportet bene ad id advertere. His tribus rebus mihi videtur opus habere, Confessarius & Pater Spiritualis, pro regendis similibus animabus. Utinam DEUS, per viscera suæ infinitæ misericordiae & bonitatis, largiatur talibus Magistris & Patribus Spiritualibus suam abundantissimam gratiam, ut in hoc negotio, & in omnibus assequantur, quæ sit Sancta ipsius voluntas; & animabus, quæ talia expertæ fuerint, concedat suum lumen & Sanctissimam gratiam, ut omnia bene agant, detq; illis Divina Majestas Magistrum, & gratiam convenientem ad majorem suam gloriam, & ipsarum profectum.



CAPUT XXIV.

De varijs modis, quibus se DEUS supernaturaliter communicat animabus, & quibus ipsæ illum in ista communicatione cognoscunt.



Pro eo, quod Venemabilis Marina de Escobar in se ipsa est experta, conscripsit DEO in spiritu, varios modos, quibus Divina Majestas se comunicat supernaturaliter animabus, & gradus seu scalas, quibus ad illos progrediuntur, unumq; modos, quibus ipsæ DEUM in ista communicatione cognoscunt. Atq; in his omnibus adumbrabat seipsam, ac depingebat id, quod illi eveniebat, in duplici statu via, quâ illam DEUS ducebat, quando imprimis quidem prospero utens vento abundavit solatijs spiritualibus, postea verò fuit passus varias ac diuturnas afflictiones, pro sua majore corona.

§. I.

De quatuor supernaturalibus modis, quibus se DEUS communicat anima.

1. **P**rimus modus, quo se DEUS supernaturaliter communicat animæ (quantum cum Divinæ Majestatis gratia intellexi, & ex ipsius bonitate sum experta) est loquela quædam interior ac Divina, quæ sonat in auribus & auditu secretiore ac superiore animæ, ubi per Divinam gratiâ, & per supernaturale lumen sibi à DEO communicatum, ipsum cognoscit, valde distinctè, verè, ac vivaciter.

2. Secundus modus, est cognitio clara & manifesta, quoad DEUS vult, & est Sanctissima ipsius voluntas, ut anima, & pars illius superior illuminetur, quâ videtur, cognoscitur, ac intelligitur in eo ipso Domino, admirabiliter, illa veritas & my-

sterium, quæ veritas remanet in tali anima quasi inserta, & impressa valde clarè, verè ac firmiter, ac si in molli cera remaneret figura sigilli in illam impressi. Hic modus est admodum Divinus, excellens, & sublimis.

3. Est & tertius modus, quando DEUS quasi explorat intimos recessus animæ, atq; ità illi incipit insinuare aliquam veritatem vel mysterium, quod ipsi Divina Majestas vult manifestare, & exponere fufius per suos Sanctos Angelos, quâ illuminatione & exploratione perfectè disponitur, ut audiat, intelligat & cognoscat, quid loquantur ac annuncient illi Sancti Angeli, & quæ mysteria, nomine DEI, velint ipsi indicare, pandere, & exponere. Sicut contingeret cuiquam viro gravi & prudenti, qui clarè perciperet, cognosceret, ac intelligeret, sibi à Rege, Domino suo, præstandam aliquam gratiam & favorem; idèòq; se disponderet pro eo suscipiendo, cum gratiarum actione, & cæteris requisitis, ad audiendum, percipiendum, & intelligendum, quid Regia Majestas illi sit mandatura, ab eo petitura, & ad quid agendum sit usura ipsius operâ: ita fit, & se res habet in hujusmodi gratia & misericordia, quam DEUS præstat animæ.

4. Quartus modus, est lumen & cognitio specialis & supernaturalis, quam Christus JESUS Dominus Noster dat, & communicat animæ, quando dignatur, ex sola sua bonitate & misericordia, illi revelare aliquod mysterium suæ Passionis, Resurrectionis, vel Ascensionis, aut Infantia suæ, similitumve rerum, quo lumine habito & cognitione, videt, cognoscit, ac intelligit admirabili modo, in eo Domino dolores, quos est passus in eo mysterio, quod illi manifeste.

manifestatur, aut gloriam Resurgentis, vel Ascendentis, vel alia mirabilia, concernentia ipsius Infantiam.

Quamvis autem tertius & quartus modus, quos hic refero, videantur esse potius speciales gratiæ, quas DEUS exhibet animæ, in sua Divina & mystica communicatione, quàm distinctus modus se communicandi, inuenio tamen, nescio quid distinctionis ac differentię in hoc, quòd DEUS ita doceat animam, ut videatur somnari, intelligaturq; esse modus communicationis potius, quàm specialis gratia à Divina Majestate animæ præstita.

§. II.

Quomodo oporteat esse dispositam animam, ut DEUS se illi communicet, loquatúrque internè: Et de varijs gradibus, per quos ipsam ducit.

Postquam anima se collocaverit ad pedes sui DEI ac Domini, illiq; obtulerit Sacrificium solidarum & perfectarum virtutum, & postquam, per Divinam bonitatem jam nihil videtur intercedere inter DEUM & ipsam, eò quòd sit illi subiecta, subdita, & obediens, ac disposita ad omnia, quæ DEUS ipsius & Dominus ei voluerit dare ac præstare, disponerq; de illa, quoad crucem, afflictionem ac dolores, vel solatia & gaudia, ac sva vitatem; ille verò ipsam respiciat oculis paternis, amando illam, & bene ei volendo, tanquam filię & sponsæ, recreando eandem & consolando, sicut decet talem bonum & magnificum Dominum, prospiciendo illi in omnibus necessitatibus, ipsamq; adjuvando; postquam, dico, anima est in hoc statu virtutum, per Divinam bonitatem & gratiam, atq; Dominus illi se communicat, & pandit sua Divina secreta ac mysteria, clarè & specialiter, ipsam illuminando, debet anima in suo peculiari exercitio orationis, quando ocludit portas omnibus creaturis, & sola agit cum suo DEO,

offerre ipsi suum exercitium orationis & meditationis, gratiarum actionis, & contemplationis, ac cætera, quæ nos docent Sancti. Hac enim viâ nobis ingrediendum est, donec Dominus nos incipiat alloqui, ducâtq; animam, quò voluerit; oblati ipsi omnibus in purissimè aurea patina humilitatis, & cognitionis propriæ nostrarum miseriarum, quæ virtus admirabilis plerumq; in hoc statu non acquireretur solâ consideratione, sed promanabit à lumine interno & antiquo, communicato ipsi à DEO. Hæc est magni momenti ac pretij.

Debet anima ingredi intimum & secretum conclave DEI, libera, & expedita à desiderijs rerum mirabilium & supernaturalium, submittendo se sincerè ac simpliciter Domino DEO, ut faciat & operetur in illa, quod voluerit, ipsiq; bonum factu visum fuerit, neq; debet in suo exercitio subsistere ex proposito, vel in eo desideria se dare, ut audiat & auscultet DEUM, an loquatur: quando enim DEUS id vult facere, & se taliter communicare, seu in visione, seu in revelatione, plerumq; præmittit quosdam quasi nuncios ad animam, quòd illi velit præstare aliquam extraordinariam gratiam, ut propterea subsistat, & auscultando attendat, quid illi dicatur, vel exhibeatur: prætereâq; concedit DEUS sæpe moram animæ humili ac religiosæ, ut se excuset, dicâtq; suo DEO, se malle in exilio pati, quàm gaudere: neq; unquam hac viâ perditur DEUS. Sicut enim ipsemet est, qui hoc docet, ita se ipse donat & communicat animæ abundantius: estq; mirabile, quod hac in re Divina Majestas facit & operatur, pro Divina sua voluntate. Videtur rogare, & offerre amanter donum, atq; dum se anima excusat, infert ipsi quandam amabilem & svaissimam vim, quâ illam sibi reddit obsequentem. Aliàs ingreditur DEUS in animam tanquam Dominus, ut est, suæ Domûs, mandando & prohibendo, ut ajût dicendóq; sva viter: hoc tibi est faciendum, vel hoc audiendum, aut hoc est videndum, vel istud intelligendum. Tunc anima.

anima est subiecta, subdita, obediens, abundans solatio, & corroborata ad omnia, quæ vult DEUS. Et quia dixi, quid fiat in hoc felici statu animæ, in quo se DEUS communicat, alloquijsq; suis Divinis animam dignatur, & se illi manifestat, suâq; Divina secreta ac mysteria pandit & exponit, volo etiam dicere, ad maiorem ipsius gloriam, juxta id, quod à DEO sum docta, & ipso donante experta, ob ejus bonitatem, in quali alio statu, se DEUS communicet animæ, eidemq; se modo prædicto manifestet ac ostendat.

Dico porrò, quòd postquam est egressa anima, DEI adjuvante gratiâ, ex terra Ægypti, & ex potestate Regis Pharaonis, qui est diabolus, noster adversarius, & pertransivit mare rubrum, atq; jam est in via, quæ ducit ad beatam terram promissionis: postquam præterea multum passa est in eadem via, vigilando & pernoctando in custodia sui ipsius, obtinuitq; & comparavit, cum DEI gratia & sudore, ac labore manuum suarum, pretiosissimum thesaurum perfectarum & solidarum virtutum, veræ mortificationis passionum, & contemptus sui ipsius, ac abnegationis propriæ voluntatis, amando crucem Christi, eamq; ex corde amplectendo: & postquam per hanc viam regiam continuæ Orationis pervenit ad cognitionem DEI, pro sua capacitate, atq; ad ipsum possidendum & amandum perfecte, Dominus autem cum illa agit, sicut cum filia, Sponsa & amica sua, seq; ei communicat, ipsam, alloquitur, & docet, multis ac diversis modis: & postquam illam Divina Majestas jam non tractat instar infantis, lactando ipsam semper suis uberibus, fiditq; illi, ac potest fidere majora, & mirabilia, ut sunt derelictiones, desolationes, obscuritates ac tenebræ spissiores & obscuriores, quàm fuerint Ægyptiæ, quæ poterant palpari manibus: postquam etiam Dominus fidit tali animæ derelictæ à DEO, secundum opinionem hominum, ut pendeat inter cælum ac terram, quin possideat istam, & fruatur illo: & postquam DEUS permittit ex sua infinitate bonitate, atq; pro ma-

jori bono ac emolumento hujus talis animæ, ut omnes ipsius hostes confurgant contra illam, eamq; persequantur, ac affligant, nec non passionem ipsius vel inclinationes naturales atq; rebelles delinquant, ut videtur id, quod tamen jam in isto statu non accidit, in quo hæ passionem non erunt indomitæ, cum jam sint mortuæ: quando anima est in hoc statu, & progressa est ultra primum, de quo sum loquuta, communicat se tali animæ DEUS, loquitur illi, & manifestat se ipsi hunc in modum. Ordinariè non sunt hæ visitationes, alloquia, & illustrationes ac revelationes, quas Dominus DEUS isti animæ communicat, longæ, neq; diuturnæ, sed breves, & modico tempore durantes: non quòd propterea sint minores, aut minora mysteria, sed quia DEUS agit compendiosè & strictim, docetq; animam intra breve tempus. Dixi autem: ordinariè. Quia, ut DEUS est infinitus ac potens, ita potest facere, ac variare sua opera, quando & sicut voluerit, fueritq; ipsius Sanctissima voluntas. Semper Divina Majestas præmittit, qualiter dixi fieri in altero statu, nuncios, ac indicia, ut præmoneat, se venire, cum suis Divinis donis, & plerumq; præstat istas gratias, quando anima nihil minus cogitat, quàm ut illas suscipiat, multòq; minus, quòd illi sint præstandæ. Si quidem enim non habet suum DEUM vicinum, sicut solebat, tantumq; ipsum retinuit in intimo recessu cordis, nam inde nunquam se absentat, nisi ob aliquam culpam, ubi Divina Majestas per suam bonitatem commoratur, estq; unita animæ, id quod ipsa experitur, etsi arcanissimè, ut ita possit pati sine solatio; ideò anima est quàm remotissima ab eo, ut cogitet de his donis, & illa expectet. Venit nihilominus Divina Majestas ad illam, alloquitur ipsam, seq; ei communicat, quando maximè est afflicta & turbata, desolata ac oppressa à suis inimicis; tunc enim plerumq; loquitur DEUS, & instar boni Pastoris, sibi suæ ovi, quia eam cognoscit, & ipsa cognoscit illum.

Effectus

Effectus admirandi, quos istæ misericordie DEI operantur in anima, quæ in hoc statu versatur, sunt prædicti, præter alios multos, quos nescio explicare, neq; intelligere. Istæ misericordie Divinæ sunt huic animæ, non lac dulce infantum, sed cibus & victus grandium: non sunt illi solatium, levamen & gaudium, sed fortitudo ac virtus in ipsius pusillanimitatibus & exanimationibus, non sunt porta patens, ut per illam contemplerur beatitudinem, sicut solet facere in altero gradu, sed murus fortissimus, & præsidium, pro impediendo ingressu hostis: non sunt animæ ornamentum, & obutus sponforum, sed clypeus & scutum, pro defensione adversus ictus, & invasiones hostiles: ac tandem non sunt gustus nec sva- vitates, neque dulcedo palato animæ, sed auxilium, virtus ac robur illius: istæ misericordie DEI non adferunt animæ ordinariæ (quia quod est insolitum, ut dixi, relinquimus DEO, qui omnia potest, & juxta id, quod ordinariæ fit, nos debemus dirigere, ac dicta intelligere) elevationes, raptus, ecstases, atq; alia hujusmodi: imò videtur per breve temporis spatium anima quodammodo oblivisci & esse immemor sui DEI ac Domini, tantumq; retinet virtutem & fortitudinem, omniq; cætera bona, quæ dixi; sicut contingit homini mortificato, quo comedente cum eximio gustu, corroborantur & confortantur ipsius membra: neq; debet anima in hoc statu multum tergiversari ac reluctari, quando advenit DEUS cum his suis Divinis donis: etsi enim hoc sit laudabile in altero statu, neq; propterea perdat DEUS, ibi tamen expedit, ut reluctetur anima, tanquam indigna, hinc autem, ut amplectatur confortationem ac medicinam, tanquam debilis & quasi infirma: ac proinde dico, quod debeat anima humiliter ac reverenter, & agnoscendo suam necessitatem ac voluntatem DEI, amplecti & suscipere istas misericordias ac dona DEI. Cogitet quoq; & credat, hoc DEO placere, idq; ipsum velle ex sua bonitate,

ac misericordia, & pro ipsius bono, auxilio, & corona.

§. III.

Quomodo anima cognoscat DEUM, per viam Divinæ internæ communicationis, ex allocutione, visione, & operatione.


1. **P**ræcipuum fundamentum, quod anima habet pro cognoscendo, DEO, per viam Divinæ communicationis, & internum alloquium, est puritas animæ, præsertim illa, quam DEUS illi concedit in ipsius primis principijs.
2. Secundum, est mortificatio, & humilitas, atq; avulsio ab omni creatura, & universis, quæ non sunt DEUS, eorumdemq; oblivio.
3. Tertium, est apparatus & ornatus illarum virtutum, quas Dominus DEUS Noster dat & communicat animæ gratis, & ex sola sua bonitate, unaq; acquiratarum, cum gratia & auxilio ejusdem Domini, sudore ac labore creaturæ.
4. Fundamentum quartum, est præsentia DEI & continua oratio, unde hoc oritur, emanat ac provenit, ut contemplando se ista Sponsa cælestis Regis in illo clarissimo speculo Divinæ faciei, ubi videt, agnoscitq; seipsam, suam vilitatem ac miseriam; cognoscat quoq; quantum capit anima & ei communicatur à DEO, ipsius Esse Divinum, amando illum, & cognoscendo ipsum, atq; contemplando. Hoc modo devenit anima in agnitionem loquelæ Divinæ, intuitus Divini, operationis Divinæ, per lumen supernaturale, quod illi communicatur, ad agnoscendam illam loquelam interiorem ac Divinam, quæ attingit & occupat intimum fundum & superiorem ipsius partem, certissimèq; eam illuminat, ut ipsam non permittat dubitare, sitne Divina ea loquela & communicatio DEI. Ad quam explicandam vel

Bbbb

exponen-

exponendam non suppetunt verba. Sicut enim dici nequit, qualis sit DEUS in seipso, ita dici non potest, quomodo loquatur, seq; ipsum communicet DEUS. Ideoq; solum assero, esse metallum Divinum, quod sonat ac sapit lumen DEI, & suavitatem DEI, ac pacem DEI, atq; , ut finiam, dico, quod sonet ac sapiat ipsummet DEUM, & dico amplius, quod sicut agnellus, solo instinctu naturali cognoscit suam matrem, ex balatu, ac illam sequitur, & quærit, atq; parvulus infans, sine usu rationis, suam, ex loquela, & facie, gaudetq; ac lætatur dum illam audit, ac videt; ita, suo modo, ista anima pura & munda, non ex instinctu naturali, sed ex gratia & lumine supernaturali DEI, quod illi communicat, agnoscat suum Patrem, & suum DEUM, suumq; Dominum, quodq; omne bonum ipsius consistat, in ipsius alloquio, & intuitu ac operatione, sicut dixi, quæratq; illum, ei obediat ac lætetur in illo & gaudeat. Agnoscit hæc anima suum DEUM ex aspectu, quia dum contemplatur in vultu illius Divini Esse justitiam, postquam prius ab ipso est illustrata, & illuminata, recipit tales influxus & talem virtutem, taléq; lumen, ut summè propter istum Divinum intuitum amet suum DEUM ac summum bonum: ci-

met quoq; ipsum ac reveretur, obedit ei, maximèq; optat, se mille modis quasi condire gustui & palato DEI. Hos effectus admirabiles, & alios, producit in anima. iste intuitus DEI, unde devenit in cognitionem clarissimam, ipsum esse, qui radios suæ virtutis, pertingentis ad animam, talem affectum est operatus in illa. Cognoscit ista anima suum DEUM ac Dominum in operando, quia, postquam se collocavit ad pedes Agni Divini, dum considerat & contemplatur ipsius Divina opera, & qualis hic Dominus sit in seipso, qualis fuerit, ac sit erga nos, concipit animam, adjuncta gratiâ istius Domini, talia & tanta desideria, operandi pro DEO, & patiendi pro DEO cum magna voluptate, solatio & gaudio, ut deveniat in cognitionem clarissimam & supernaturalem, cum, qui ita operatur in anima, esse DEUM, ipsiusq; Scientiam, ejusdemq; potentiam & bonitatem. Iste est modus, quo anima cognoscit DEUM per Divinam ejus ac admirabilem communicationem, ut me idemmet Dominus edocuit, fecitq; ut id experirer, ex sola sua Divina bonitate.



CAPUT

CAPVT XXV.

De modo, quo se DEUS communicat parti superiori animæ, sine imaginibus, aut figuris, inferiori autem per has figuras & imagines: & qualiter illas diabolus possit imitari: ac de signis, in quibus differunt.

§. I.



Ars superior nostræ animæ, quò non potest ingredi diabolus, neq; ulla creatura, est pars nostri intellectus, quæ est illuminata à DEO, semperq; illum intuetur, & res spirituales. Hæc est pars, in qua DEUS per se ipsum patefecit animæ, & explicat suas veritates ac mysteria, atq; suas perfectiones collustrans illam quodam superiore lumine ita, ut sine imaginibus, vel figuris aut alloquijs, ipsam reddat capacem, & ei imprimat, ac infundat illam veritatem, aut mysterium, quod ipsam docet, suæ Divinitatis, vel superiorum Divinorum attributorum, ac mysterij Sanctissimæ Trinitatis, nec non Divinitatis vel Humanitatis Christi Domini, ipsiusq; Incarnationis, vel Nativitatis, aut Sanctissimæ Passionis, aut Resurrectionis, aut cujuscunq; reliquorum Mysteriorum sanctissimæ ejusdem vitæ, vel mortis: atq; hoc facit sicut dico, sine imaginibus, aut figuris; sed exponendo ipsi, veritate illâ mysticâ, & lumine superiore, excellentiam, valorem ac thesaurum bonorum, quæ continentur in eo mysterio, quo lumine habito, anima & intellectus illustratur cognitione adeò profundâ & sublimi, ut illi nihil possit obumbrare, vel obscurare eam veritatem ac mysterium, quod DEUS ipsam docuit, & ipsi manifestavit eo modo superiore ac Divino. Hæc sunt visiones superioris & intellectualis partis animæ. Modus tamen usitator, quo DEUS ingreditur intimum recessum animæ, ut illi

præstet dictas gratias, est, exhibere illi in parte ejus inferiore, quæ est imaginativa, portam quandam regiam, seu pontem speciosum imaginum, & figurarum, quem ipse DEUS suis manibus fabricavit, ut illac transeat anima, & intret ad Civitatem DEI, atq; ad videnda ipsius magnalia, ac mysteria. Et quamvis sit verum à diabolo, permittente id ipsi DEO, posse efformari aliquam figuram, vel imaginem falsam, simulante veras imagines divinas, ita DEUS tamen custodit, adjuvat ac illuminat animam puram, castam, & humilem ac fidelem suo DEO, quæ nihil aliud quærit, aut vult, quàm ipsum, ut statim agnoscat ac advertat hostem proditorem, ideòq; ipsi occludat in conspectu portam, maneatq; immunis à fraude ac proditione, quâ ipsam volebat hostis circumvenire, & cognoscat, quandonam sit ipse DEUS, qui illi exhibet veram portam, de qua diximus, imaginum ac figurarum. Ut perveniatur ad istam portam, solet adesse, alia, eaq; aptissima, & est, quam ipsamet anima, cum gratia & auxilio DEI, sibi in sua imaginatione, ac parte inferiore fabricat, dum tendit ad præsepe, & ad montem Calvarium, atq; ad sepulchrum, ubi per considerationem tantorum mysteriorum, & repræsentato sibi Infante JESU, ac Sanctissima Virgine ejus Matre, vel Christo Domino Crucifixo, aut sepulto, alijsve similibus mysterijs, elicit inde pro se admirabiles ac utilissimos affectus, & est optime disposita pro suo profectu, atq; ut perveniat ad majora, & magnopere delectatur DEO, cui multum placet, quòd anima incipiat à tam bonis ac proficuis principijs:

cipijs: atq; si scit ijs bene uti, & cooperari, præstabit ipsi hac viâ Dominus magna bona, deducendo illam ad secundam portam, ac introducendo deinde in suam Civitatem.

Aliâ vice ei DEUS declamavit discrimen visionum, quæ sunt imaginaria, ab intellectualibus, per illud, quod intercedit inter flores odoriferos, dum sunt in aliquo urceo, qui tandem marcescunt, nec diu olent, atq; dum injiciuntur in alembicum distillatorium, extrahiturq; ex ipsis succus & aqua odorifera, & conservatur in phiala, quæ magis olet, ac diutius dunt.

§. II.

Alij modi, quibus se DEUS communicat anima.

QUadam nocte mihi dixit Divina Majestas: Considera, quàm sublimi modo me communicem animæ, hac ratione. Intellectus ipsius, & pars superior se habet more ordinario & naturali, qualiter ego illam creavi, & sæpe venio ad ipsam obsecrè, deinde radijs Divinis mei luminis eam inflammo, ac illumino, & clarifico illum ipsius intellectum, ac partem superiorem, per quod lumen Divinû ipsi patefacio, & illa videt mysteriû vel veritatem quam ego volo, & est mea volûtas, ab ipsa sciri ac intelligi, fieriq; aliquid, vel dici: unde frequenter provenit alius modus communicationis, qui est quædam loquela Divina, quâ ego loquor animæ, & quæ sonat in ipsius interno ac secreto auditu. Hi duo modi communicationis sunt altissimi & sublimissimi, multoq; magis prior, unde illa superior animæ pars illuminatur & collustratur Divinâ luce, ejusdemq; radijs, sicut ferrum, quod prodit ex ustrina, tam occupatum & accensum ab igne, operaturq; talia, eò quòd impositum ustrinæ participaverit ignem. In visionibus verò, quas ego animæ longè istis inferiores exhibeo, quæ contingunt in imaginativa, ubi illi ostendo & revelo mysterium, Sanctum, vel Angelum, aut aliquid aliud, quod volo, præter lumen, quod do

animæ, ut cognoscat illa mysteria & veritates, quas ipsi manifesto, id quod in ipsa videt & cognoscit, tanquam in claro speculo, soleo dare animæ aliam illustrationem superiorem, & cognitionem earum veritatum, quæ est quasi confirmatio prioris luminis, quod ei contuli, & ostendo ipsi quasi digito ac dico: Ista, quæ vides, sunt veræ visiones, & vera mysteria: atq; in hoc modo communicationis, raro permittam dæmonem se se immiscere. Istis modis communicationis, maximè verò priori, anima summè acquiescit, & agnoscit illas veritates, itâ, ut etiâsi timores animæ ipsam tentent contristare ac deijcere, semper prævaleat, firmiterq; inhæreat ei veritati, quâ DEUS custodit, & conservat in anima.

Solet se quoq; DEUS communicare animæ taliter. Illuminat animam, & pandit illi quodpiam mysterium, vel aliquid, quod vult ab ea fieri aut dici, ad eum quasi modum, de quo egi initio in prima communicatione, conceditq; Divina Majestas in ista communicatione locum intellectui congenito, auferendo ipsi reliquias alicujus defectûs naturalis, sicut qui tollit rubiginem ex pretioso lapide, ut utens, facultate, sibi à DEO datâ, naturaliter discurat, & cooperetur cum eo, quod illi DEUS manifestat in ea communicatione. Atq; hoc, ait Divina Majestas, multum valere, ac prodesse. Quia DEUS operatur, & creatura utitur eo, quod ipsi DEUS tribuit naturaliter. Sunt infiniti & admirabiles modi communicationis, quibus DEUS se communicat animæ, per modum Divini & cœlestis colloquij, quod animam vehementer abripit, solatur & replet stupore. DEUS sit benedictus.

§. III.

Nonnulla signa, pro cognoscendis veris alloquiis DEI.

ETiam illam DEUS docuit nonnulla signa, ad cognoscendam veram communicationem, & alloquia Divina Majestatis valde diversa ab ijs, quæ vult simulare dæmon.

In festo S. Michaelis (A. 1603.) quadam occasione, dixit ad DEUM cum extmordina-rio affectu: Domine, mallet mihi linguā exarefcere, quā quidpiam dicere, quod non esset tuum. Et interrogabat ipsum: Domine, estne aliquid in hoc, & in omnibus, quæ scripsi, meum, quod non sit tuum? Responditq; illi Dominus: Nihil est tuum, omnia sunt mea; & isti responfo ita acquieuit, ut de eo non potuerit dubitare. Cum verò consideraret, cui fundamento in- niteretur tanta illa certitudo, quod ipsi id diceretur à DEO, isq; illam alloqueretur, in- uenit, eam in tribus his præcipuis rebus fun- dari! Primò, quod ita loquela sit conjuncta cum tanto lumine, & cognitione intellectu- ali, proveniente à DEO, ut id quasi eviden- ter percipiat. Secundo, quod ea ueritas Di- uina adueniat cum quadam eminentia, & superioritate, excedente omnes alias uerita- tes, prolatas ab Angelis, vel à nostro spiritu, aut demone, absq; ulla comparatione: & lon- gè evidentius superet mendacia. Tertiò, quod illabatur lenissimè, & suavissimè, atq; unà sic animam occupet, ut illius iudicio sit conformis, eamq; sibi subijciat tam firmiter, ut etiamsi haberet libertatem resistendi, mo- mliter tamen non uideatur posse aliter fa- cere, quā se illi submittere, propter dulce- dinem ac suauitatem, quā afficit animam.

Alia signa refert alibi, desumenda ex fine & effectibus, quos operantur, licet sint uerba admodum delectabilia & honorifica. Nemo, inquit, cogitet, ista interna allo- quia, & uerba, quæ DEUS dicit, alloquens animam, ita proferri, ut ipsam turbent, vel dimoveant à cognitione sui ipsius, in qua eam DEUS, per suam misericordiam, con- seruat, aut à sancto illius timore. Sicut enim proferuntur, cum infinita sapientia & potentia, ita sunt plena ejusdem sapien- tiæ & pace ac solatio, suauitate ac dulce- dine, & amore, relinqvuntq; animam qui- etam, & pacatam, humilem, & plenam sui cognitione, hilarem & contentam; aufe- runt timores ac dubia, quæ habebat, & re- plent ipsam amore DEI, novisq; deside- rijs illi placendi, ejusdemq; amandi. Alia

his affinia signa sunt allata in capite 7. Li- bri primi.

Alia uice intellexit à DEO, unum ex maximis indicijs, pro agnoscendis ueris uisi- tationibus, allocutionibus, & revelationibus, esse, si ij qui illas assequuntur & habent, eas- dem recusent, ac tergiversentur, quando ip- sis adueniunt: quales contra non essent, si illas desiderarent, & ijs delectarentur. Qua- propter ista famula DEI hac in re prorsus stupenda, propter notabilem repugnantiam, quā refugiebat quidlibet extmordinarium, non accipiando quidaquam tale, nisi quodam- modo coacta, adeò ut ipsamet aliquando in- terrogauerit (anno 1614.) Nostrum San- ctum Patrem IGNATIUM, an in hoc com- mitteret excessum, & Sanctus illi responde- rit affirmatiuè: Eò, quòd, dum anima, ex DEI misericordia, purè desiderat ipsi placere, habetq; tam claram cognitionem de sua familiaritate cum Diuina Maje- ste, & Sanctis, non sit, cur adeò timeat ac resistat: quamuis aliquantum timere & re- sistere semper sit bonum, saltem, ut magis satisfiat Confessario, à quo regitur.

Hinc possumus gradum facere ad alias instructiones, quæ ei fuerunt data, de illu- sionibus diabolicis & fraudibus, quibus sunt obnoxia multe persone spirituales, quoad has uisiones, & alloquia interna.

§. IV.

Quomodo demon non sciat simu- lare omnia opera DEI.

DUm, inquit, aliquando manè essem collecta, agens cum DEO, & ex- pendens atq; considerans ob certum fi- nem, nonnulla, quæ ipsius Majestas mihi dixerat, & manifestauerat meæ animæ, ei- demq; tam potenter ac efficaciter impres- serat, ut agnoscerem, essentne eæ ueritates Diuinæ, quia mihi non poterat occurre- re ulla ratio humana, quæ illas posset euer- tere: dum, inquam, ita essem constituta, dixi Diuinæ Majestati: Mi Domine, dic mi-
Bbbb 3 hi,

hi, per tuam bonitatem, estne forte reperibilis ulla creatura, quæ possit aliquomodo imitari id, quod tu facis? atq; hoc illi dixi, loquendo præsertim de diabolo, deq; illius inventionibus. Audivit Divina Majestas meam istiusmodi interrogationem, & respondit mihi: Non potest dæmon, qui est Pater mendaciorum, ullâ ratione, reverâ imitari opera mea, neq; meas veritates: idq; ideò, quia ipse non potest dare, neq; apponere suo mendacio colorem, nec saporem, neq; odorem, quem habet virtus veritatum Divinarum: volo dicere, ipsum non posse suo mendacio dare eam vim, ut illi nequeat contradici, neq; eam efficaciam, ut illud mendacium semper in corde perseveret, ita ut non possit ab eo recedi, nec in ullo deficiat, neq; illi potest conferre tantum robur, ut in omnibus occasionibus contrarijs subsistat. Hoc non potest facere diabolus. Quod facit, & potest diabolus efficere in isto negotio, declarabo tibi hac similitudine: sicut quâdo dæmon tentat aliquem hominem râtatione iræ, vel vindictæ, aut qualicûq; aliâ, & sic illû vehementer constringit, ut cor ipsius tyrannicè vexet aliquo dolore & gravi commotione, facitq; ut sibi videretur, non passione agi, sed agere rationabiliter, nisi ipsum aliud doceret fides; hunc in modum operatur quando vult simulare mea alloquia, & seducere animam, cui falsam quandam in illis vim infert, ingerendo ipsi vanos affectus, absq; ratione & virtute, aut constantia & stabilitate: ideòq; sicut ille homo, de quo sum loqvutus, agnoscat, per fidem, se aliquomodo deceptum, ita etiam anima Sancta, quæ fideliter amat sum DEUM (quia si id non haberet, esset magnopere timendum) plerumq; sentit & habet in eo alloquio timores ac ambiguitates, & frequenter ipsi non conducit ille cibus, eò quòd in illis allocutionibus & documentis non experiatur dictos effectus vehementiæ, efficaciæ, & fortitudinis, quos in anima relinqvunt meæ veritates.

§. V.

§. V.

Diabolus operatur in sola imaginativa.

POSTquam me indignam peccatricem dignatus est visitare Beatus Sanctus Bonaventura, advertissimq; me, propter quosdam affectus internos, quos senseram, teneri aliquo desiderio sciendi, utrum nos, & interiora animarum nostrarum sciant, & cognoscant Sancti Angeli ac diaboli, dixit mihi: Adverte, Anima, diabolus non potest penetrare usq; ad fundum animæ, vel cognoscere ipsius interiora, aut quid ibi agatur, quia hoc solus DEUS potest, ideòq; quando advenit, non progreditur ultra Imaginativam, & quasi portas animæ. Illuc pertingit suis mendacijs, vel representationibus turpibus & abominabilibus, ibiq; animam vocat, & illa ipsi annuit atq; consentit, vel illû rejicit, scq; ab eo expedit. Si quis consentit, & peccat solâ internâ cogitatione, dæmon id non agnoscit, nisi ex quibusdam conjecturis, quæ semper sunt sufficientes, ut astutus hostis aliquid intelligat. Hoc solum fit, nec potest ulterius pervenire, quàm hucusq; aut scire amplius dæmon, quod hanc rem concernit, nisi DEUS permittat, jubeatq; ex sua incomprehensibilibus judicijs ac Divina justitia, quidpiam manifestari à Sancto Angelo, qui præter revelationem, quam habet à DEO, majori est, quoad hoc, prædictus notitiâ, ex Divina misericordia, pro nostra necessitate, quàm diabolus, de rebus occultis nostræ animæ. Dixitq; præterea Beatus Sanctus: Adverte, Amica, quando Christus Dominus, vel ipsius Sancti visitant animam, & ipsa illos videt cum Divina pace, quæ ei communicatur, diabolus non potest scire, neq; cognoscere, quid in ea agatur, nisi per conjecturas: quod si aliquid de his cognoverit vel intellexerit, id non aliter fiet, quàm permittente DEO, propter causam ejus Majestati notam. Et quando dæmon, eâ occasione, se vult transfigurare in Angelum lucis, DEO permittente, dantq; illi id faciendi facultatem.

illa species quam diabolus assumit, vel visio, non exhibetur in eo loco, seu parte, neq; est in eo organo, in quo veræ visiones Christi Domini, & ipsius Sanctorum.

CAPUT XXVI.

Alia signa, ac regulæ pro agnoscendo bono spiritu, & solida virtute, ac bonis somnijs, directæ ad instructionem Magistrorum Spiritûs.



Ex occasione multarum rerum, quæ his temporibus eveniebant quibusdam personis, quæ habebantur pro spiritualibus, & præferantur quadam, in speciem, valde admiranda, dedit DEUS varia documenta isti suæ famulæ, pro instructione Magistrorum, à quibus regebantur: & primum accepit sub ipsa initia hunc in modum.

§. I.

Postquam, inquit, meus Confessarius, & ego, contulissimus de Spiritu duarum sceminarum, quæ videbantur in usitatum progressum facere in suo profectu, & præbebant speciale exemplum, ædificabantq; suis devotionibus, penitentijs, modestiâ, mortificatione, patientiâ, humilitate, & alijs virtutibus, quæ fæminæ nos concernebant, quia se nobis commendaverant, & habebamus illarum curam, ideòq; disceptabamus de illis, deq; earum Spiritu, essetne bonus & securus, an contra malus vel dubius; decrevimus, quòd, exploraturi Spiritum istarum & aliarum similium personarum, easq; adprobaturi, vel reprobaturi, quandoquidem hæc res esset tam occulta ac delicata, bene faceremus, si id consideraremus & ruminaremus, nihilq; definiremus, absq; maturo consilio, & nisi quàm diligentissimè dispiceremus, quid esset expers doli ac securum, illudq; tale esse concederemus, de eo verò quod non existimaremus esse tam certum non pronuntiaremus statim sententiam, sed eam

differremus & expectaremus, donec id nobis tempus, & eventus declararent.

In hanc æm mihi dixit DEUS: Eravistis heri, tuus Confessarius & tu, quia ut agnoscatür ejusmodi personæ, earumq; Spiritus, & sciatur, rectène procedant, an secus, non solum est animadvertendum, quod dixistis, ita, ut quasi unum pedem figatis in eo, quod videritis esse expers doli, ac deinde alterum in eo, quod vobis constiterit esse securum, atq; sic paulatim exploretis earum spiritum, non determinando vos, ut statim aprobetis totam viam, tanquam securam sed procedatis cum ista consideratione ac timore. Animadvertete enim, in via spiritûs reperiri principia, media & fines. Atq; principia in quibusdam durant diu, in alijs verò non ita, prout ipsi adlaborant, & ab alijs juvantur. In his autem principijs, secundùm vires Spiritûs, qui illis datur, eorumq; cooperationem propriam, ac naturarum, quibus sunt præditi, & quas hi habent tales, alij alias, quidam sunt valde ferventes, alij non adeò, sed quietiùs se exercent in virtute. Non est autem expendenda vel metiendâ virtus horum incipientium, secundùm majores vel minores ipsorum fervores, aut majores demonstrationes penitentiarum, abalienationum à sensibus, humiliatiónum, &c. Neq; etiam secundùm id, quòd hi quidem delinquant, illi verò nõ, modò delicta non sint stabilia. Quia sicut, dum aliqua olla fervet ad ebullitionem, certum est, non esse aquam calidiorem, quàm dum fervet quietè & continuè, ita ex illis fervoribus incipientium non est ferendum judicium,

dicium, de perfecta virtute, sed ex fine eorū, quod perseverent in perfecta cognitione DEI, & ipsius perfectionum ac virtutum, & in ardenti voluntate, vehementerq; propensa erga suum DEUM, & ad obediendum ipsi, atq; erga Divinam ejusdem voluntatem, ita ut istud sit principium, à quo eorū voluntas moveatur ad omnia sua opera & regula, cui suas actiones conformet, ac finis ad quem easdem dirigat, utq; hoc sit omnis ipsorum cura, adeo ut idcirco, & ob intimum amorem quo feruntur erga suum DEUM ita sint ipsi conjuncti, ut dicant, vel dici possit de ijs, quod dixit Sanctus Paulus: *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Unde neq; cogitant de se, nec de sua vita, aut de suis successibus, vel de rebus hujus mundi, amplius, quàm si non existerent: quia insuper omnia creata conculcant pedibus, neq; adhærent ulli creaturæ, nec tanguntur timoribus mutationum temporalium, atq; etiam à donis & gratijs Divinis, quantumvis favorabilibus, sunt avulsi, & quando sic sunt dispositi, illabitur DEUS in ipsorum animam, ita ut non indigeant alio Doctore, sintq; sapientissimi, ad maxima quæq; intelligenda à Divina Majestate, de ipsius magnitudine, potentia, sapientia, providentia, & bonitate; prætereaq; instructi Divino lumine, quod illis communicatur, vident, quomodo DEUS sit amandus, honorandus, audiendus, ac timendus, adeo ut omnia reliqua ipsis videantur esse instar umbræ, & rerum exigui momenti: ideòq; reponunt in illo omnem suam spem ac animum, & cum eodem lumine agnoscunt clarissimè suum nihilum, suamq; paupertatem, miseriam & fœditatem, eamq; detestantur ac damnant, desiderant autem omnem afflictionem, opprobrium, & crucem, ut verè ac justè plectantur: & si quid ejusmodi ipsis eveniat, suscipiunt id instar saluberrimæ medicinæ, quam amplectuntur. Quia etiam se tam bene cognoscunt, nihil habent, cui innitantur, sed adhærent DEO, nec ab illo noctu diùq; recedunt, & Divina Majestas ipsos adjuvat tanquam verus Pater, atq;

visitat, & confortat, ac dat illis confidentiam, quod sint ab eo salvandi, quæ est quoddam quasi initium possessionis, insuperq; ijs aliquid, imò multum de eo quod possessuri sunt, communicat per visiones, & allocutiones internas, &c. Quæ si hæc viâ adveniant, & post dicta principia, atq; sine abundantia humorum melancholicorum, vel multis defectibus, solent, plerumq; esse veræ revelationes, & prophetiæ: jam enim in hoc statu ipsorum curam suscepit DEUS, & instruit illos ac dirigit adeo, ut quasi semper eos ducat.

Verùm hæc est alia probatio boni spiritus. Si, postquam illis imperatum est à DEO, vel eorum superiore, ut aliquid faciant, aut omittant, quod firmiter statuerunt facere, atq; tunc ipsis dicit Confessarius vel eorum superior, ne id faciant, sint, dum abstinere ab eo peragendo, tam pacati, quàm antè, imitenturq; Christum, qui obedivit usq; ad mortem, mortem autem Crucis. Alia verò probatio est, quando is, qui cum illis agit, invenit in ipsorum animabus, sensibus ac potentijs, cæterisq; omnibus, quasi impressam legem DEI, & omnia quæ ab eo nobis in illa præcipiuntur, specialiter verò doctrinam Christianam, in quantum concernit singulos, quoad omnes suas partes, operum misericordiæ, donorum Spiritus Sancti, fructuum, & beatitudinum, ita ut hæc in ipsis operentur id, propter quod DEUS illa tribuit.

§. II.

Aliud simile monitum habuit occasio-
ne altarum seminarum, quarum virtutem, qualis fuerit, hunc in modum depingit: Reperiuntur quædam personæ spirituales, quæ vivunt illusæ, ita ut reipla & verè omnia earum verba sint sancta, ac bona, loquanturq; multum de DEO, & faciant res bonas ac virtuosas, quæ conveniunt cum amore DEI, & bono proximi: sunt autem valde impetuosæ, plene teneris affectibus ac præcipientes, ut nunquam cessent, aut quiescant ita agere & loqui.

loqui. Habent istæ, quemadmodum
ajunt, vehementes sensus amoris, & impul-
sus, allocutiones internas, revelationes, e-
levationes; cognitionem rerum superna-
turalium, & occultarum ac abditarum,
concernentium proximos, dicuntq; se co-
gnoscere ac intelligere statum animæ ip-
sorum, & in quali peccato mortali existant,
aliq; similia, & credunt atq; cogitant, ne-
scientes se decipi, omnia, quæ ita sentiunt,
audiunt, & intelligunt, sciunt & cognos-
cunt internè, esse DEUM, & veritates Di-
vinas. Aliter autem se res habet: istæ
enim sunt illusiones, umbræ, & figuræ con-
fictæ à diabolo, ab imaginatione, & humo-
ribus, ac natura comparata & inclinata
ad eum modum, per hanc viam, ut om-
nia illa sint quidam fucus, & falsa simula-
tio Divinarum veritatum, sicut contingit
in artificijs historicis agyrtarum, & simili-
bus rebus, ut dum videntur agere, quæ
sunt solida ac vera, sint mendacia, & res
apparentes ac fictæ, non habentes substan-
tiam, aut valorem. Hoc evenit in istis
personis spiritualibus, quæ decipiuntur ac
decipiunt alios, præter voluntatem & sine
malitia: atq; istæ non explicant clarè su-
as res spirituales, quia non habent verum
fundamentum. Sequuntur directionem
suorum Confessariorum, qui fortè non co-
gnoscunt bene earum spiritus, ideòq; pos-
set errare in ipsis regendis: tales enim per-
sonæ vehementer indigent, ut noscantur
à suis Confessarijs multo tempore, utq; ip-
si habuerint magnam notitiam earum vi-
tæ, morum, & viarum, quibus fuerunt du-
ctæ per decursum suæ vitæ; ut sicillas se-
curè dirigant. Hoc frenum obedientiæ
dedit DEUS hujusmodi animabus, ex sua
bonitate, ne præcipitentur, & propter
bonum desiderium, quod Divina Majestas
forsan illis indidit, conformandi se cum
ipsius voluntate: versantur tamen in ma-
gno periculo, ideòq; est necesse, ut Con-
fessarius diligenter ad hoc advertat, & il-
las in omnem partem verset, aperiâtq; ip-
sis fraudes, & avertat illas ab isto spiritu,
ac faciat, ut se colligant, sint solitariæ, ta-
ceant, operentur, & orent modo ordina-

rio: neq; ijs permittat tam frequentes
communiones. Hac ratione mihi viden-
tur curari tales personæ spirituales.

§. III.

Alias tres regulas cognoscendi bonum
Spiritus, ipsi dedit DEUS aliâ vice,
occasione cujusdam personæ, quæ habebat
quædam valde extraordinaria, non prove-
nientia à DEO, dixitq; ita: Prima est.
Quando juxta regulas boni spiritus, & ra-
tionis ac prudentiæ, non satisfaciet Magi-
stro spiritus docto & experto communi-
catio, quam anima se dicit habere cum
suo DEO, non debet ipse hujusmodi ca-
sum expendere, neq; hunc Spiritum ap-
probare, spectatis operibus virtuosis, qua-
lia esse videntur, neq; secundum res ad-
mirabiles & arcanas, quas apparenter ha-
bet talis anima: siquidem in his, etsi vi-
deantur esse regulæ boni spiritus, potest
intervenire fraus, multis & varijs modis:
ideòq; in præsentī casu observanda est hæc
doctrina. Sicut non potest verè for-
mosam reddere fæminam, si habeat defor-
mem vultum & nigrum, ornatus vestium,
& cimelia in speciem pretiosa, quia hæc
omnia ipsi non sunt connaturalia, neq;
bene congruunt: ita se habet anima spiri-
tualis fœda, & exornata virtutibus ac do-
nis apparentibus.

Secunda regula est: Non debet spiri-
tus judicari vel damnari tanquam malus,
si adsint dicta signa, ac satisfaciat Patrī
Spirituali, ut debet, communicatio ani-
mæ cum suo DEO, conformiter Sacræ
Scripturæ, ac doctrinæ Sanctorum, pro-
pterea quòd aliqua anima, cui se DEUS
communicat, obnoxia sit nævis ac defe-
ctibus naturalibus, cum humilitate & co-
gnitione sui ipsius, neque habeat quid-
quam admirabile, sed vivat modo con-
sveto quoad extraordinaria. Ille status
animæ est bonus ac securus, inquit Domi-
nus, quamvis communicatio hujus ani-
mæ cum suo DEO & Sanctis ipsius sit val-
de sublimis. Si ita se res habet, Domine,
ajebam ego, quis est sensus Tuæ Majestatis
de hac

Cccc

de hac anima, de qua agitur, & quale nobis iudicium ferendum est pro gloria & honore tuo, ac ipsius bono? Iudicium, quod de ista anima ferri debet, reposuit Dominus, est, quod sit expers malitiæ, sitq; illi propterea exponenda ipsius deceptio, paulatim, prudenter, & amanter, ac debeat instrui, imbuiq; bono spiritu, & deduci ad viam magis tritam, quàm sit illa, quâ incedit.

Tertiam regulam illi ita exposuit DEUS: Adverte, Anima, ac scito, (*dixit Dominus*) esse admirabilem viam & verum statum, valdeq; securum illum, in quo verifatur, & vivit anima, cujus vita est naturalis ac ordinaria, virtutes autem profectæ & solidæ, atq; communicatio cum DEO admodum sublimis, Divina & supernaturalis, ac de rebus admirandis & extraordinarijs, penitusq; spiritualis, absq; mixtura rerum exteriorum. Hæc via, sicut dixi, est admirabilis & securissima, quale esset pulcherrimum & elegantissimum ædificium, exstructum super profunda & solida fundamenta in terræ profunditate, pertingentia usq; ad aliquam rupem, constantia ex lapide, & reliquis ad fundamentum requisitis, rudibus sat durabilibus, quæ sustentant ædificium, & sine quibus nihil valet, neq; potest perseverare: talis est anima, quæ exstruit, & in qua DEUS nolit, admirabile ædificium viarum spiritualium & supernaturalium, fundatum in vita naturali, & actionibus ordinarijs ac virtutibus solidis humilitatis, & cognitionis sui, amoris DEI ac proximi, alijsq; similibus. His cognitionibus rudibus, ac terrenis rerum naturalium, & istis virtutibus conservatur, ac stabilitur, quemadmodum dixi, ædificium Divinum, & supernaturale. Cæteræ autem viæ non sunt tam securæ, sed periculosæ, ac obnoxia deceptiõni.

§. IV.

IN hujus rei confirmationem, occasione aliarum personarum, quæ publicè patiebantur, excessum mentis elevatis in altum

manibus, vel extensis in modum crucis, aut alio situ afflictivo, ad quas spectandas multi consuebant, DEUS illam iussit scribere id, quod ipsa sic refert: Dum aliquando manè agerem cum DEO, alloquuta me est Divina Majestas dicens mihi, quasi conquerendo ac dolendo: Anima, scribe, quod tibi dicam. Quia non fueram attentæ, respondi Domino: Quid dicis, DEUS mi, & Domine mi? jubéne me scribere? Scribe tu Domine, qui scis, quid tibi sit scribendum, potesq; id imprimere cordibus hominum. Scribe, Anima, reposuit Dominus; Noveris enim, his temporibus invaluisse, ex instinctu diaboli, magnum abusum personarum, quæ videntur pati ecstases, ignorantes, & non advertentes suum malum, dum edunt gestus & motus, transformantq; vultum, ijs modis, qui sunt indigni rebus meis, & mei spiritus gravitate, attribuendo mihi, quod est proprium diaboli, tractandq; me, instar vilis ac levis personæ, propter suum commodum, ac ad vanè ubiq; distrahendum populum, gesticulationibus manuum, & figmentis ac artificijs. Hoc ego, anima, vehementer sentio, & res ista adversatur meo honori. Proinde eos, qui possunt, & quibus ex officio incumbit id impedire, oporteret diligenter considerare istum casum tam exitiosum, omnèq; remedium adhibere, quod possent prudenter, & bono modo, quem hujusmodi res exigit. Ego sum DEUS veritatum, & Spiritus purus ac Divinus, unde in animabus meorum servorû operor, ijsq; in genere res secretissimas, admirabilissimas & spiritualissimas, valdeq; proficuas ac utiles. Hoc est ordinarium, & si ago ac operor in meis servis quædam inusitata, quia ita convenit ad meam gloriam, ea sunt pauca & gravissima, ut se ipsis præbeant testimonium veritatis. Multum refert, ista extraordinaria, & exteriora ab alienationum à sensibus, ac pronuntiata de rebus præsentibus & futuris, atq; signa, examinari exactè à Magistris viæ spiritualis: possunt enim intervenire maximi, summèq; noxij errores, sine malicia illius, qui talia patitur. Neq; decipiuntur, quod

quòd ipsi videantur ij, qui ista habent, esse personæ, quantum apparet, virtuosæ ac humiles. Quia diabolus, qui est author dictarum rerum, non curat effingere in ipsis quasdam virtutes apparentes humilitatis, obedientiæ, & rerum similium: imò id plurimum facit ad illius propositum, ut seducat tales animas, quæ omnia deprehenduntur suo tempore, cum magno damno ac detrimento. Hoc fit, quod, ut scribas, tibi dico.

§. V.

AD aliud extremum desleclunt Confessarij & Magistri Spiritus, qui, postquam illis sufficienter se probavit ac satisfecit persona, habens res extraordinarias, quas ipsa conatur occultare, sed DEUS eandem luculam aliquam facit promiscare, ita ut multi proficiant, vel proficerent cum illa conversando; ipsi de ea loquuntur tam tepidè, ut propterea alij intepescant, & ab ejus consuetudine abstineant: qua de re illi DEUS est questus his verbis.

Reperire est Religiosos, qui propter sua officia, exercitia & ministeria, quibus inserviunt Ecclesiæ, & profunt animabus, habentur pro hominibus magnæ autoritatis & sapientibus, ideòq; ipsis creditur, æstimanturq; eorum facta ac dicta. Hi autem propter suas naturas, vel diversos mores, aut fines, quos habent, atq; similia, cum aliqua imminutione meæ gloriæ, & profectus ac ædificationis proximorum, & emolumentis, quod animæ ipsorum perciperent, loquuntur de personis mihi servientibus, quibus ego singulares exhibeo gratias, & cum quibus ipsi conversantur, quarum excipiunt confessiones, quas dirigunt ac bene noscunt, quantum possunt assequi prudenter, & juxta Regulas Sanctorum ac sacræ Scripturæ: loquuntur, inquam, de illis, dum se offerunt occasiones, modo quodam timido, frigido ac tepido, vel tacenti quando esset loquendum, adeò ut his modis, & istâ tepiditate, reddant tepidos ac frigidos proximos, quibuscum conferunt, aut à quibus interrogantur, de

talibus personis, quæ mihi serviunt: atq; hac ratione obsecrant meam gloriam, & proximi perdunt fructum quem capiunt, vel possunt capere ex affectu erga ipsas, & bona opinione, quam habebant de illis, quæ ipsos ad proficiendum juvabant suis precibus, doctrinâ ac bono consilio, & exemplo. Isti, dixit Dominus, quoad hoc valde malè agunt, & me offendunt.

Ista res duravit aliquot mensibus, quibus illa dicebat Divinæ Majestati, quantum cum resignatione. Domine mi, si tibi placet, noli mihi id dicere, per metipsum te rogo, quia propterea crucior & affligor. Quid me, Domine Majestatis, vis facere? Nunquid ego hoc fortè possum emendare? Emenda id tu, qui potes, & es omnipotens. Dominus svaviter quasi dissimulans ac tacens, illam audiebat, permittendo, ut intimè his rebus affligeretur, eâsq; sentiret. Post aliquot deinde dies denuò illi dixit, quàm svavissimè: Ego nolo cogere tuam voluntatem, ut dicas ulli creaturæ id, quod intelligis, parum profuturum, & malè accipiendum: constet tibi tamen, me ab hoc genere hominum, qui sub bono prætextu prudentiæ faciunt, id quod tibi dixi, me offendi, & illos valde malè agere, impediendo meam gloriam, & bonum proximorum.

Hæc omnia ipsam vehementer angebant. Deniq; cum graviter infirma esset ac debilis, neq; posset scribere, dixit ipsi Dominus quodam matutino tempore, per modum inspirationis, cum imperio: Age, Amica, scribe statim meo nomine, quod tibi dicam. Tum illa: Sit ita, Domine, sicut dicis, sed poterone, aut faciámne id bene, cum sim debilis? Itâ, poteris, & bene facies, cum mea gratia, dixit Dominus, scripsitq; subito, quod est relatum.

§. VI.

Quomodo cognoscantur somnia bona, sintne naturalia, an supernaturalia, ac Divina.

Sermo hîc est de somnijs bonis, quia de malis ac indifferentibus non est, quod quærat.

Cccc 2

Somnia

Somnia bona, quæ habet homo naturaliter, & sunt merè naturalia, nihilq; habent Divini admixtum, etiamsi, quàm diu durant, videantur adferre solatium, postquam tamen quis expergiscitur, relinquunt animam aridam: & quamvis aliquando eorum recordetur, id tamen fit momentaneè & ordinariè elabuntur è memoria, manèntq; anima ita constituta, ac si illa non habuisset. Et hæc somnia habet homo, quando integrè est sopitus. Somnia bona, quæ sunt supernaturalia, habentq; aliquid Divinum, in quibus datur aliquod documentum, vel fit revelatio, aut aliquid simile, ordinariè habentur, quando homo est semisopitus, adferuntq; secum quoddam lumen, propter quod ipsi-

met homini videntur esse Divina, & inhererent tam fixè memoriæ, ut non elabantur; producant in anima, pro ratione formij, optimos affectus, vel timoris, vel gaudij, vel solatij, vel humilitatis: Semper sunt de rebus serijs, gravibus, & alicujus momenti; ac tam bene disposita, ut in ipsis nihil reperiat impertinens, vel quod dedeceat gravitatem DEI: contra verò in merè naturalibus semper est aliquid invenire, quod dedecet DEI gravitatem, quam exigit familiaritas cum Divina Majestate: semperq; bono aliquid admisceatur, quod non est tale, vel saltem est impertinens.



CAPUT XXVII.

Quomodo illi DEUS declaraverit, quales sint imagines ac species corporeæ Sanctorum, qui se præbent spectandos animæ, & quid ipsa hac de re scripserit.



Quia Myſteria, de quibus a-
ctum est, repræſentatur o-
culis animæ, per diverſiſ-
ſimas imagines & ſpecies,
juverit referre modum,
quo ipſe DEUS illi explicuit ac manifeſta-
vit, quidquid pertinet ad has imagines, &
quid ipſa hac de re ſcripſerit, quod ſanè eſt
ſublimiſſimum, ac ſubtiliſſimum, ut videatur
excedere captum femina: verum providentia
tanti Magiſtri vult interdum per
feminam, qualis fuit iſta, inſtruere, ut di-
ximus, doctiſſimos quoſq;, ad quos præcipue
dirigitur hoc caput, eo ſuppoſito, quod, quan-
do Venemilis Marina aliquid exquirebat à
DEO, nunquam id fecerit ex curioſitate,
imò horruerit, ac fugerit talia, ſed ipſe DE-
US, qui ea ipſi volebat manifeſtare, poten-
ter illam ſua inſpiratione permoverit, ut ea
ex ipſo quæreret. Atq; ita ſe res habuit in
ſequentibus caſibus.

§. I.

DUm, inquit, quodam die agerem
cum DEO, correpta fui deſiderio,
interrogandi Divinam Majestatem, quale
eſſet myſterium, Spiritus Sancti, quod vi-
deram, in ſpecie columbæ, & alia hujus-
modi, dixiq; illi: Domine, quid eſt hoc,
quod anima videt? & cui fit iſta repræ-
ſentatio, ut videat ſpeciem hujus colum-
bæ? Nunquid non fortatte phantaſiæ?
Quia ea viſio mihi videtur fieri aliquan-
tum extra animam, & quaſi in alio orga-
no? Reſpondit mihi Dominus: Dicam
tibi, quid hoc ſit. DEUS eſt infinite ma-
gnus, potens, immenſus, ac omnia repleta
& comprehendens, exiſtitq; totus ubiq;
Hic magnus DEUS, ut anima melius poſ-
ſit grande aliquid cognoscere, capaxq; ſit
at percipiendorum myſteriorum, quæ ipſi
vult manifeſtare, ac indicare, colligitur

§. I.

am immensitatem, & magnitudinem, ac Esse Divinum in eam, quam animæ exhibet speciem columbæ, vel alterius rei mysticæ, idq; sine constrictione, aut compressione, ut nihilominus totus existat ubiq; sicut facit suo modo in Sacramento Altaris, ut ab anima suscipiatur. Dum id volo facere, repræsentō ego ipse potentia imaginativæ illam speciem columbæ, vel alterius rei, ut dum per hanc portam cognitio DEI ingreditur in intellectum, & interiora animæ, partemq; ipsius superiorem, reddatur capacior, pro suo talento, illius Divini Esse, magnitudinis, & omnipotentia DEI, possitq; ab ipso suscipere, illud donum expressum per id, quod ipsi repræsentō. Hoc fit ordinariè: sed si suscipit à DEO speciem doni, quod illi confert, materialiter, aut si ipsummet donum recipit, non solum anima, sed etiam corpus, & sensus ejus externus, qui, propterea quod sit adeò cum illa unitus, & quodammodo jam redditus spiritalis, sæpe participat idem quod anima, quamvis id ipsius potentia non tam bene percipiant, tum quod sint abstractæ, tum quod de se sit hæc res valde perfecta, & expers crassitie materialis, dico, frequenter in animabus, quæ pervenerunt ad hunc statum, sic existere & fore species materiales, earundem verò receptionem spiritualem, & simul corporalem, modo prædicto: id quod est res purissima, admirabilis, & suo modo securæ. Aliàs erit species non materialis, quam sola anima recipiet: atq; hoc est magis ordinarium, ad eum modum, quo alicui, qui non potest multum intellectu discurrere, ostenduntur in picturis vel tapetibus, præclare gesta, & facinora heroica antecessorum, diciturq; ipsi: Hoc & hoc factum, est tali tempore, ac tali occasione, & istud ac illud tali tempore, & tali modo, atq; tali occasione. Quod si iste, dum id ipsi taliter dicitur, non potest percipere tam longam historiam, dicitur illi: Ecce, hinc in his insignibus, & in istis lineamentis, quæ in pictura hujus imaginis compendiosè & strictim omnia referunt, facilius intelliges magnitudinem & prolixitatem,

hujus historię. Ita se res habet, Anima, atq; hoc modo fit. Ut anima deveniat in cognitionem Divinarum perfectionum, ipsiusq; mysteriorum, ostenditur ipsi inprimis, ac omnes simul illæ species, columbæ, vel rerum hujusmodi, ut in isto compendio, pro suo captu cognoscat res magnas, admirandas, ac plenas mysterijs, facilius & svavius.

§. II.

Quæris ex me præterea, quale sit illud corpus, quod ostendo animæ, DEI incarnati, & infantis recens nati, & modò parvum, modò majus, pro ratione mysterij, quod illi revelo, in Horto, vel in Cruce, vel in Sepulchro, aut similibus mysterijs. Ad hoc tibi respondeo, quòd ego, per meam Sapientiam ac potentiam effingam, & pingam meâ manu illam parvâ vel magni hominis imaginem, qualem exigit mysterium, quod tibi volo exhibere, ac manifestare, quæ quidem imago est longè perfectior, quàm ullæ aliæ species & figuræ: in his imaginibus sum ego ipse, meq; ibi includo arcano modo: & taliter, ac per has imagines mysticas me repræsentō imaginationi, ut per eam portam ingrediatur in animam, & in intimis ipsius recessum, cognitio ac sensus perfectissimus illorum mysteriorum, quæ illi revelo, quasi reipsâ, & verè adessent, sicut fuerunt peracta. Hoc fit ordinariè. Sed adverte unam rem tuam specialem ac mirabilissimam, quòd, quando tibi præsto tantam misericordiam, ut me tibi spectandum præbeam DEUM & Hominem verum, in ea ætate, & coconstitutione, quâ vixi in mundo, vir triginta trium annorum inter homines, sim egomet ipse, meum proprium corpus, & mea anima, ac mea Divinitas; subducam tamen tunc aspectui tuo splendores meæ essentialis gloriæ, quia non existis in statu, in quo me possis ita videre: atq; idem tibi, Anima, sæpe contingit in visionibus Sanctissimæ Matris. Tua anima sola fruitur his magnificis spectaculis, quamvis oculi tui corporis te non impe-

impediant, inò adjuvent: atq; tam illi, quam cæteri sensus, sunt participes mysterij, modo perfectissimo, quando convenit. Idem tibi quoq; accidit in dictis mysterijs. Qua in re me gero instar Regis, qui ipsemet vellet repræsentare suis intimis familiaribus, & amicis aliqua præclara facinora à se patrata, & ab ijs non visa: atq; pro ista repræsentatione peragenda indueret vestes similes, ut viderentur esse eadem, in quibus insigne illud facinus patravit, quod modò repræsentat regia ipsius Persona. Hunc in modum, Anima, peraguntur ista mysteria.

§. III.

Liâ vice, præsentè Beatissimâ Virgine, ad ipsum illi Dominus exposuit suspirans. Postquam illi hac de re fuisset locutus, prosecutus est instructionem dicens:

Verumtamen adverte, ait, (anno 1600.) plerumq; in visionibus, imaginibus ac figuris, quas exhibeo spectandas tuæ animæ, Sanctæ meæ Matris, & cæterorum Sanctorum, existere, in ijsq; à me mitti Spiritum ipsius Sancti: neq; cogita, has figuras & imagines carere virtute & substantiâ, instar imaginis expressæ & efformatæ in speculo à vultu humano, aut alia quavis re, quæ illi obijcitur. Non enim ita se res habet, nec etiam existima, id fieri, ad eum modum, quo tu acu pingeres aliquid ad alterius cuiuspiam artificij, dati tibi pro exemplari imitationem, quod perfectum esset ectypon, & viva imago artificij & exemplaris, tibi propterea oblata. Etiam si enim sit ejus quædam effigies, sitq; illi usq; adeo similis, non est tamen ipsum exemplar, neq; in ipsam est quidquam derivatum, ex illius substantiâ. Tale autem est istud mysterium, ut ex hac tam excelsa & sublimi comparatione intelligas excellentiam hujus operis, illudq; æstimés. Sicut Æternus Pater ac Dominus DEUS Omnipotens seipsum intelligendo, & comprehendendo, producit Verbum Mentis ex sua ipsius substantia ac virtute, quod Verbum productum est illius Sacra-

tissimus Filius DEI, ipsi æqualis, atq; in una eademq; Substantia, ac Esse Divino, duæ sunt Divinæ Personæ, unde audiveris dici, Filium DEI esse imaginem sui Æterni Patris, ejusdemq; splendorem: audiveris quoq; interrogatum à quodam ex Apostolis eundem Filium DEI, Redemptorem mundi, de suo Patre, respondisse, ab eo, qui videt illum, videri ipsius Patrem, cum sit unius ejusdemq; cum illo Divinæ Substantiæ: ita tibi ego nunc dico, se habere, suo modo, hoc opus, quod tu desideras intelligere; quia meâ infinitâ potentia, quâ facere possum & facio, quidquid volo, etiam facio, ut, licet illud corpus non sit reipsâ & verè meæ Sanctæ Matris vel Sancti, quem tibi spectandum exhibui, sit tamen imago, & effigies genuina corporis illius Sancti, qui comparet modo quodam admirabili ac Divino, digno Sipientiâ & potentia DEI, adeo ut sicut verè dicitis, quòd DEUS generet suum Filium ex suamet virtute, & substantia, manens DEUS, ita, suo modo, illa imago ac effigies, operante DEO, qui id potest facere, recipiat virtutem corporis ab eo Sancto, dum corpus manet alibi. Quapropter, sicut verè dicitis, ab eo, qui videt Filium DEI videri ipsius Æternum Patrem, cum sit ejusdem cum illo Substantiæ Divinæ: ita dici potest verè, ab illo, qui videt istam effigiem & imaginem, quam tibi ego exhibeo, meæ Matris ac Sanctorum, videri totum illum Sanctum, siquidem ibi existit ejus spiritus & virtus, quæ inest sancto ipsius corpori, modo prædicto.

Hoc est, quod magis ordinariè contingit in visionibus rerum, quas exhibeo. Sed præter istas ordinarias, habet alias tuam animam, quas efformo, & efformabo, possumq; efformare ac efficere meâ infinitâ potentia. Audiens ego ista magnalia, quæ mihi DEUS manifestabat, & attonita, quòd manifestarentur mihi, quæ eram adeo indigna, ut illa vel audirem, incepti dicere: Non, non Domine: Desiste, per tuam bonitatem, & noli me docere tam sublimia & miranda, neq; enim sum digna, à Te doceri. Verùm Divina Majestas, negat

§. IV.

eo, quod ego illi dicebam, progressa est in sua instructione, ut illam finiret. Quis autem intellectus poterit assequi, vel quæ lingua sciet explicare magnitudinem Sapientiae, quâ iste Dominus hoc meae animæ manifestabat? solum dicere possum, quod ingressus meus Dominus in animam meam, quasi suam domum, & in meum intellectum, occluserit subito illius portam omnibus, quæ non sunt ipse, manensq; ibi solus cum ipsa, in secretissimo recessu ac fundo ejusdem, docuerit illam suâ Divinâ sapientiâ, ipsiq; manifestaverit hæc magnalia & arcana sua, ut anima perciperet magna & admirabilia bona ex hac ipsius communicatione; quæ non solum duraverunt tempore illius raptus, sed multis post diebus, quotiescunq; id quod fiebat frequenter, recordabatur eorum, quæ ibi fenerat ac intellexerat, denuò replebatur stupore, & abundabat magnis solatijs, ac bonis in suo, magno Domino.

Id illi accidit, postquam fuisset visitata, ut diximus, à Sacratissima Virgine Domina Nostra, & in confirmationem eorum quæ dicta sunt. Aliâ vice, quâ illam invisit, dum ab ea abiret, conspexit ipsam ascendentem ad Cælum, usq; ad locum, ubi eandem Celsissimam Reginam vidit existentem cum corpore & anima, atq; etiam, quod illa species Beatissima Virginis, cui inerat ipsius spiritus, qui hinc ascendebat ad Cælum, postquam pervenisset ad locum, in quo erat hæc Domina, reipsâ ac verè in illam fuerit ingressa, seq; ei univertit. Et cum miraretur, quomodo id fieret, cuperetq; hoc intelligere, dixit illi Christus Dominus, id fieri, sicut fit, dum Sol contrahit suos radios, atq; aliquid suæ virtutis & claritatis, quando se illi opponit valde spissa nubes, eâ verò sublata, propagat radios usq; ad terram: ita enim sanctos communicare radios suæ virtutis ac spiritus his imaginibus, postea verò illos retrahere, quando ea disparent.

Ego multò post, animadversâ hujus rei difficultate, illam rogavi, ut sibi eam denuò peteret à DEO aliquantò magis declarari. Quo factò, scripsit, specialiter pro hac re à DEO illuminata, id, quod sequitur.

Visiones imaginariæ & intellectuales, quas Dominus DEUS exhibet animæ, quemadmodum ab eodem Domino sum edocta, & ipso volente experta, sunt tales. Quando DEUS vult visitare animam per suum Sanctum Angelum, repræsentat phantasie imaginem formatam eo modo & arte, quâ illam Dominus DEUS scit ac potest efformare, estq; ordinariè species hominis elegans ac splendida. Huic imagini videtur infundere DEUS illum spiritum Angelicum, ibiq; loqui, & se communicare tali animæ. Non tamen cognoscit ac percipit & audit istum cœlestem Spiritum potentia imaginativa, neq; id fit in isto organo, quod solummodo repræsentat illam imaginem, sed cognoscit ipsum, audit, ac intelligit pars illa superior animæ, quæ semper respicit DEUM, & res spirituales. Atq; hæc imago tantum illi est instar gratæ & jucundæ umbræ. Hoc est, quod concernit visionem & cognitionem Spirituum Angelicorum.

Quod verò attinet ad Sanctos, qui habuerunt corpus humanum, idem est, præterquam quod illæ imagines, quas DEUS effingit ac proponit Imaginativæ, referant genuinè ipsorum corpora, ac formam, & figuram: Interdum autem illos DEUS exhibet splendidos, pro sua Sancta Voluntate, & istæ imagines ac figuræ habent nescio quid virtutis, ecommunicatæ ipsis, à veris corporibus Sanctorum, & quandam quasi umbram illorum, inditam sibi à Divina virtute ac potentia, ut qui videt illam imaginem, vel figuram, videatur sibi in ea videre quasi ipsum corpus Sancti. Et pars superior animæ cognoscit virtutes, ac dona Spiritus illius Sancti, quoad illa DEUS ipsi vult manifestare, auditq; illum ac intelligit, sicut accidit in eo, quod supra dictum est de Angelis.

Idem, & eodem modo evenit in visionibus Sanctissimæ Virginis Domine Nostræ, nisi quod Sanctissimum ipsius corpus, plerumq; videatur unâ cum Sanctissima anima, quando Dominus DEUS vult præstare

stare tantam gratiam & favorem suæ creaturæ.

Idem est, ac fit in persona Christi JESU Domini Nostri: quamvis ego audem dicere, quantum scio & sum experta, nunquam abesse ipsammet illius Personam, Sanctissimum Corpus & Animam ac DEitatem, ubi anima de his omnibus cognoscit, quod ab illa vult Divina Majestas intelligi, sentiri, & cognosci, juxta ipsius capacitatem, præterquam, dum exhibet spectandam aliquam suam speciem aut imaginem dolorosam alicujus mysterij, suæ Passionis vel Infantæ: tunc enim nihil existimo esse aliud, quam speciem & imaginem, qualis est corporis Angelici: & Dominum loqui, seq; ibi communicare, ac revelare illud mysterium suæ Passionis ac Infantæ, tali arte, tamq; admirabili sapientiâ, ut anima, cui manifestatur simile mysterium, sentiat, cognoscat, & intelligat de eo, quantum illi DEUS communicat, ac si realiter, & verè ibi perageretur. Atq; hoc modo contingit in mysterijs Sanctissimæ Virginis Domine Nostre, quando comparat dolorosa ad pedem Crucis, aut in alio mysterio suorum dolorum & anxietatum, vel sui Virginei partûs, aut Incarnationis Verbi Divini, aliarumve rerum hujusmodi. Exhibetq; DEUS, ut dixi, hæc spectanda tam artificiosè, præstanter ac sapienter, & manifestat illa animæ adeò evidentem, ut in initijs, quando tale quid contingit, & anima adhuc parum est experta, præterquam quòd vehementer obtupecat, videatur turbari, dicatq; suo DEO: Quid est hoc, Domine, cum istud mysterium semel tantum fuerit peractum, & non sæpius?

§. V.


Hoc scripsit ista famula DEI, quod ego sic intelligo ac declaro duobus modis, quibus fieri possunt ista apparitiones. Quia, quod attinet ad Angelos, qui illi comparabant, & quorum quatuor quasi continuè manebant in diversis partibus ipsius cubiculi, intelligo, in ea figuram & specie corporis, quod

representabatur Imaginativa, reipsa ac verè ibi, ubi videbatur esse illa species corporea, ipsum Spiritum Angelicum, qui loquebatur, instruebat & opemabatur per instrumenta illius figura corporea. Et hoc non est difficile credere de Angelis, qui frequentat descendunt ex Cælo in terram, ut invisant homines, cum iisq; agant, quorum sunt Custodes. Eodemq; modo est possibile, ut Spiritus & anima alicujus Sancti existat etiam reipsa ac verè in ea specie corporis, qua comparat, utq; per illam loquatur ac doceat, sive id faciat descendendo ex Cælo ad terram, sive etiam ibi remanendo: Quia Omnipotenti nihil est impossibile. Alius tamen modus magis ordinarius, pro cæteris omnibus Sanctis (atq; etiam interdum pro Angelis) potest esse, ut existentibus ipsorum animabus in Cælo, eorundemq; corporibus, qui illa ibi habent animabus unita, se, non excedendo inde, exhibeant spectandos in illis imaginibus ac figuris, genuinè representantibus corpora, qua habuerunt in hac vita, vel modò habent in Cælo, tam pulchros ac speciosos, quam DEUS ipsos vult videri. Quibus figuris dicuntur Sancti, per Divinam potentiam, indere suam virtutem, Spiritum & radios, in quantum illis mediantebus ex Cælo, DEO ipsomet operante, loquuntur, conversantur, & operantur, ac si recerâ existent in eo loco: & anima calitus illustrata in parte sua superiore, ista omnia ibi videns, concipit & cognoscit, Spiritum Sancti ex ipsius effectibus, ac proportionem, quâ respondet illi imagini sui proprii corporis, quale illi debetur, & habuit in hac vita, habebitq; in resurrectione. Atq; cum hoc lumine etiam cognoscit virtutes, & prerogativas ac perfectiones ejus Sancti, in cogitandum, quo illas ipsi vult DEUS manifestare. Percipit quoq; cum eodem lumine, quomodo differant ab Angelis, in quibus, etiam si apparent in specie puerorum vel juvenum, agnoscit non esse propria ipsorum corpora, & hos Spiritus non habere relationem ad illa, neq; ea exigere naturaliter: sed quòd ad ipsos assumantur, ut se accommodent modis, quo possunt cognosci ab hominibus. Et hac ratione applicanda est similitudo istius mo-

di, quo Pater Æternus producit suum Filium, qui est ipsius imago, adeo, ut, qui illum videt & audit, videat & audiat ejs Patrem. Ità enim, non equaliter, sed cum quadam proportione, producit DEUS istam vivam imaginem Sancti, quæ illum genuinè representat, & per quam loquitur ac operatur, adeo, ut, qui illum videt, videat quodammodo ipsum Sanctum.

Hujus rei est alia similitudo desumpta ex eo, quod contingit in mptibus; quia sicut anima manet in terra animæ suo corpori, illudq; vivificat, ac aliquomodo movet;

Spiritu tamen est elevata ad Cælum, quia ibi videt ac audit, prout illi unimatur, id quod illi DEUS vult manifestare, & Spiritus ipsius operatur, quod DEUS illum vult operari: ita demptis omnibus imperfectionibus, dum manet anima Sancti in Cælo, dicitur descendere ad terram, eo modo corporeo, ad talem locum, quia ibi loquitur, conversatur, & operatur, quod vult DEUS.



CAPUT XXVIII.

De cognitione sui ipsius ac DEI, & de septem motivis propriæ confusionis, expendendis per septem dies hebdomadæ.



Alios etiam varios parvos tractatus, seu diversa puncta conscripsit Venemabilis Marina, ex Divina inspiratione, exponendo varia media, pro obtinendis nonnullis insignioribus vite spiritualis virtutibus, ex quibus quedam collecta ipsiusmet verbis referamus, eo quod continent doctrinam proficuum, emanantem ex tam bono fonte, ac ab ipsa desumptam ex libro sue propriæ experientia.

§. I.

Incipiamus ab eo, quod scripsit (A. 1612.) de duabus cognitionibus, tam sui ipsius, quam Domini DEI, quæ, inquit, sunt instar duarum portarum, per quas oportet ingredi, ut perveniatur ad Sanctitatem, & perfectionem Divini amoris, eâ arte ac industria constructarum ut moveantur in duobus tantummodo cardinibus, ita ut vix possit moveri prior, quin moveatur posterior. Atq; ex vallibus cognitionis propriæ (si valles vocari possunt) conspiciuntur ac videntur excelsi vertices cogni-

tionis DEI, ex his verò montibus spectantur, & clarè videntur, quasi in lucidissimo speculo, valles nostrarum miseriarum, peccatorum, & fragilitatum. Neq; nobis propterea est despondendus animus: solent enim consternare ac terrefacere animam tam profundæ valles nostrarum miseriarum, & montes tam alti cognitionis DEI, & ejus attributorum, ut effugiant nostrum conspectum, quod ipsum demonstrat illius magnitudinem. Intra portas istas tamen reperiuntur immensi & infiniti thesauri bonorum cælestium, si quotidie tribuatur tempus istis considerationibus, sæpèq; interdiu & noctu animo revolvatur: Quis est DEUS? & quis sum ego? qualem se DEUS exhibuit erga me? & qualem me ego exhibui erga illum? dicendo ipsi magno affectu: Sic me dilexit DEUS, sic (ponderando istam vocem, sic) ut mihi dederit suum Unigenitum Filium, æqualem sibi, ut esset meus Redemptor, meus Pater, meus Magister, mea Lux, & meus Dux, utq; ditaret ac repletet animam meam bonis æternis, seq; ipsum mihi daret. Ad se verò conversus homo dicat: Ità te

Dddd

odio

odio habui ego, tēq; offendi, ut te frequen-
tius permutaverim, vendiderimq; re nihili
& delectariunculā vilissimā, quæ præterit
in momento, & postquam solummodo
remanet desolatio ac anxietas propter te
perditum ac malè commutatum, quòd se
videat pauper anima destitutam gratiā,
quam ipsi dederat DEUS, ideòq; obscura-
tam: ita te non amavi Bonum infinitum,
ingratum me exhibendo tantis misericor-
dijs & gratijs susceptis à tua immensa bo-
nitate. Sed incipiendum est à confide-
rationibus cognitionis propriæ, quam in
rem juvabunt sequentes.

*Septem Puncta cognitionis pro-
pria.*

1. **P**rimum punctum, pro die Lunæ
est, considerare: Quid eram ante-
quam nascerer? & cum ista considerati-
one ingredi ad fundum usq; animæ, ac be-
ne perpendere, & intellectu penetrare il-
lud nihilum, quod fuimus, ut ita videam⁹,
& cognoscamus potentiam, ac bonitatem
magni Conditoris nostri ac Domini, qui
sic voluit & potuit, per solam suam poten-
tiam ac bonitatem, nos extrahere ex hoc
nihilò ad tantum bonum: intueamur
quoq; clarissimè, & agnoscamus nostram
miseriam ac vilitatem, ut ita destruamus
rotam nostræ vanitatis & superbiæ.

2. Secundum punctum est, considera-
re: Quid egit mecum DEUS? Ubi satis
habet anima DEUM amans, quo se exer-
ceat; reperiet enim ineffabilia, & innume-
ra beneficia, accepta ab infinita bonitate
sui DEI. Inveniet imprimis, quòd ab eo
sit elevata & extracta ex nihilo, sicut dixi-
mus, ad Esse tam sublime ac Divinum, ut
conformaretur & quodammodo assimi-
laretur Divino illi ac ineffabili Esse ipsius,
quòdque, nos fecerit ad imaginem & simi-
litudinem sui unigeniti Filij ac Domini
nostri, dando propterea animæ, & com-
municando Esse Divinæ gratiæ, dotando
ipsam tribus illis ejus potentijs, præter mul-
ta alia dona & gratias ei collatas ex sua
Divina misericordia ac bonitate, quæ il-

lam ditant & exornant coram ipsius Cre-
atore. Præterea, quid dicemus de tot
alijs beneficijs susceptis ab eodem DEO:
ille nos semper conservat in eo esse, quòd
ex sua Divina bonitate nobis dedit, regit
& gubernat, subvenitq; tam paternā curā
omnibus nostris necessitatibus, fragilita-
tibus ac miserijs. Deniq; sunt innume-
rabilia nobis ab ipso collata beneficia...

3. Tertium punctum est. Quid feci ego
pro hoc Domino, & quomodo egi cum eo,
qui talem se exhibuit erga me? Hic pro-
fectò est, cur erubescamus. Si enim be-
ne consideremus, quid fecerimus pro hoc
nostro magno & magnifico Rege ac Do-
mino, qui adeò nos sibi obstrinxit, pro-
pter tot ac tanta beneficia, de quibus di-
ctum est, inveniemus, nos non solum non
respondisse ipsis cum magna gratiarum
actione, & exhibitione obsequiorum, neq;
quidquam nobis lucratos esse ipsius the-
sauris, id quod vult bonitas tanti Domi-
ni, sed potiùs loco hujus gratitudinis, &
obsequiorum debitorum tali bonitati, im-
memores istarum coronarum, & pretioso-
rum indumentorum nostræ animæ, obli-
teravisse frequenter ipsius imaginē, eamq;
desœdavisse luto, & per imprudentiam
malè commutavisse thesauros ejus bene-
ficiorum, & gratiarum nobis ex ipsius bo-
nitate collatarum. Hoc est, quòd retri-
buimus isti Domino, ac taliter nos quoad
istud, gessimus erga magnam ipsius Ma-
jestatem.

4. Quartum punctum est. Quid DEUS
mecum agere debuerit? Videamus, quid
aliud agendum fuerit huic Domino cum
ista miserabili ipsius creatura, quæ tam
malè conservavit tanta bona ac thesauros
acceptos ab hoc Domino, cum tanto ex-
cessu amoris & bonitatis, quàm ut profer-
ret ac pronuntiaret sententiam justissi-
mam, ut qui talia perpetravit, puniretur
pro meritis, utq; cum creatura se ita vo-
luerit perdere, suā culpā ac voluntate, &
inconsideratè egredi ex domo & palatio
regio sui legitimi Patris ac Domini, & in-
star filij prodigi abire ad domum alienam,
ibiq; vesci cibo immundorum animalium,
facillat,

faceſſat, neq; compareat in conſpectu tanti Regis ac Domini, & indè abeat in abyſſum, qui eſt locus deputatus & conſtitutus à DEO pro talibus. Hæc videtur eſſe debuiſſe ſententia, & iſta debet eſſe noſtra conſideratio. Sed videamus nunc in quinto puncto, quid fecerit?

5. Quintum punctum eſt: Quid fecit iſte Dominus mecum, pro eo quod debuiſſet, ut puniret pro meritis noſtram malitiam & imprudentiam, ut ità videamus quàm merito amandus à nobis ex toto corde noſtro ac anima, omnibùſq; viribus noſtris ſit iſte Dominus ac Pater miſericordiarum. Quod fecit, fuit, nobis hac in re compati, & ex ſola ſua bonitate, nos vocare & expectare ac tolerare, atq; portare inſtar boni Patris, & ſupremi Paſtoris, in ſuis Divinis humeris, ad ſua paſcua & gregem, ibiq; nos curare inſtar boni Medici, ac ſanare à noſtris fracturis, vulneribus, ac infirmitatibus: & quidem tam præſtantibus, pretioſis, ac ſumptuoſis medicinis & unctiõibus, quàm eſt virtus ipſius Sanctiſſimi & pretioſiſſimi ſanguinis, profuſi pro noſtra ſalute ac remedio, applicata per ipſius clementiam ac miſericordiam, & altiſſima merita, ad curanda omnia noſtra mala, peccata, fragilitates, ac neceſſitates. Hoc eſt, quod iſte Sacraſſimus Dominus noſter fecit pro nobis, loco ejus, & pro eo, quod merebatur noſtra ingratitude. Videamus autem in ſexto puncto, quid faciam ego pro illo?

6. Sextum punctum eſt: Quid ego faciam pro hoc Domino, qui talis eſt, ac tam infinitè bonus? Certè verum eſt, quòd, ſi una ſola creatura, quæ accepit tales gratias ac beneficia à ſuo Creatore, ac Domino, haberet omnes vitas, quas habent Angeli, & omnes homines, omnèſq; illas conſumeret, ac impenderet in continuum ſervitium & amorem hujus Domini, non rependeret illi ſufficienter, vel minimum ipſius beneficium. Quod cum ità ſit, cumq; una ſola creatura ſit tam exigua portio ex omnibus illis, quomodo per vitam, adeo exiguam & brevem ac labilem, poterit rependere & compenſare beneficia & gratias

as tot ac tantas, tamq; eximias? Non oportet nos concidere animo in iſta conſideratione, ſed adhibeamus bonum medium ac remedium, datum nobis ad hunc finem, ab infinita Sapientia & bonitate noſtri magni Patris ac Domini; retribuendo illi videlicet id, quod eſt illius, dando ipſi ac offerendo omnia, quæ nobis dedit, & quæ à Divina ejus miſericordia ſuſcepimus. Offeramus illi in primis ipſius pretioſam Crucem, afflictiones ac dolores, quos pro nobis eſt perpeſſus, & ſatisficiamus pro noſtris debitis, per has ipſius divitias, quæ eſt bona ſolutio: ac deinde apponamus his theſauris, noſtros teruntios, qui indè acquirunt pretium. Offeramus ipſi quidquid ſumus, habemus, & valemus per ipſum, & in ipſo, quia omnia accepimus à Divina ejus bonitate. Demus illi totum cor noſtrum, & totam animam noſtram, & omnia noſtra deſideria atq; cogitationes. Demus illi omnia, & nihil nobis retineamus. Amemus ipſum, & ſerviamus illi, laudemùſq; eum perfectè & continuè, per id quod ipſemet eſt in ſe, & quod eſt reſpectu noſtri. Deſideremus ex animo pati amore ipſius: quia magnus iſte Rex ac Dominus eſt ejus conditionis, eaq; præditus bonitate, ut quando ipſi ita offeremus noſtros teruntios, ſit futurus bene contentus, & quàm libentiſſimè munus noſtrum acceptaturus. Hoc eſt, quod nobis eſt faciendum pro iſto Domino, & ſic bonis ipſius ac divitijs, aliquid nobis lucrabimur, ſiquidem ex ejus bonitate omnia redundant in noſtrum bonum.

7. Septimum & ultimum punctum eſt: Si ità fecero, quid mihi pro hoc dabit DEUS, & quid ab ipſo conſequar? Quod mihi dabit, erit æternitas infinitorum bonorum, quibus fruamur cum Beatis Spiritibus, aſſiſtentibus coram throno magnæ Majeſtatis, cum continuis jubilibus & laudibus ſui Creatoris ac Domini, in illa cœleſti Jeruſolyma, ubi ſunt æterna gaudia. Dabit nobis etiam iſte Dominus, ut in illo felici loco fruamur ſocietate Sanctiſſimæ ipſius Matris ac Domine Noſtræ, atq; omnium

Dddd 2

Sancto.

Sanctorum & Beatorum, qui transeuntes ex hoc exilio, per crucem & tribulationes seculi, ac amantes vero amore suum DEUM, meruerunt possidere, & consequi beatitudinem. Ac tandem nobis dabit se ipsum, quæ est merces regia ac magnifica infinitæ ejus liberalitatis ac bonitatis, replentis & satiantis animam, ineffabili suâ gloriâ ac beatitudine æternâ. Hoc est,

quod speramus, per istum Dominum, & ab eodem magno Domino ac Rege nostro, remunerante abundantissimè nostræ exigua obsequia. Sit magna ipsius Majestas benedicta in æternum pro omnibus. Amen.



CAPUT XXIX.

De medijs, quibus juvari possumus, ad consequendum & obtinendum perfectum amorem DEI.

§. I.



Primum medium & gradus, pro ascensu ad istam sublimitatem perfecti amoris DEI, est puritas ani-

mæ, quam Dominus DEUS, utpote Author & Architectus hujus præclari ædificij spiritualis, ipsi infundit, dum ita ponit suâ potente manu primum lapidem, purificando animam, & præservando à lapsibus ac malis, quæ possent incurrere, propter hostem humani generis, jam inde à primis annis ætatis suæ infantilis. Iste est magnus passus, & fundamentum pro inveni-endo hoc thesauro.

2. Secundum medium est, ædificare, cum gratia DEI, quæ nunquam deest, disponenti se, pro illa suscipienda, supra istud tam firmum ac securum fundamentum. Lapidem hujus ædificij debent esse pretiosissimi. Primus erit summa humillima & amabilissima illius magni ac benigni Domini, à quo, ex sola ipsius bonitate, accepit illam primam gratiam. Secundus erit, integrè resignare & amabiliter subijcere seipsum Divinæ voluntati, atq; con- quiescere in ejus providentia, cum magna pace & securitate. Tertius erit, conti-

nua, fravis, ac jucunda memoria DEI, quem debet conari semper gerere in oculis suæ animæ, cum magna humilitate & reverentia. Lapidem pretiosum harum Sanctarum Virtutum, & exercitiorum, sunt magni momenti pro isto supernaturali ædificio.

3. Tertius modus erit, ut homo in per- agendis omnibus suis operibus virtuosus, & exercitijs spiritualibus, semper exequatur id quod est perfectius, quodq; sciverit & intellexerit esse gratius Divinæ voluntati.

4. Quartum medium est, ut scopus & finis omnium operum ejus sit, major gloria DEI, & in ipso, ac per ipsum operetur omnia, quæ fecerit.

5. Quintum erit, imitatio Christi Domini, ut conetur, quantum est possibile, insistere ipsius Sanctissimis passibus ac vestigijs, sitq; paratus ad dandam libenter, & promptissimè vitam amore illius, quando- cunq; Divinæ Majestati placuerit, fueritq; sancta ipsius Voluntas.

6. Sextum, ut propter omnia sua opera, quantumcunq; Sancta & mirabilia videantur aut sint, nolit, neq; intendat quicquam aliud, vel ullum commodum, præter gloriam ac beneplacitum Domini DEI, qui ipsi solus debet sufficere & satisfacere, etiamsi pro hoc Domino passus fuisset om- nes

ties mille mortes. Hæc sunt media & gradus, pro ascensu ad istam Divinam sublimitatem perfecti amoris DEI: ex quibus operibus, & exercitijs sanctis ac virtutibus, componit DEUS cœlestem quandam mixturam & confectionem, unde emanat ac procedit in animam, illa Divina aqua viva, istius Divini Amoris, qui est complexus fortis ac potens, & unio quædam perfecta DEI cum anima, in qua unione memoria, intellectus, ac voluntas non sciunt, neq; sentiunt quidquam aliud, quod non sit DEUS, vel directum ad DEUM, sive id sit humile, sive altum, defolatio vel crux, aut solatia, favores ac svavitates: in quibus omnibus invenit DEUM, quia ipse est in omnibus. Nec volo dicere, excludi à thesauro perfecti amoris DEI illos, qui fuerunt peccatores, & abluerunt se ac purificaverunt per veram penitentiam, disposueruntq; se cum gratia DEI, ad obtinendam istam misericordiam: quia scimus in Ecclesia DEI reperi- tos fuisse plurimos, quibus Divina Majestas communicavit istam gratiam: verum ego nunc speciatim loquor cum illis mundis corde, qui tales sunt ex Divino munere, de quibus mihi sermo fuit: hoc namq; facit ad propositum intentionis, quam DEUS mihi inspiravit. DEO gratias.

§. II.

Ea que possunt interturbare, vel impedire assequutionem perfecti amoris DEI.

1. Primum ac præcipuum, quod potest impedire hunc Divinum amorem, tanquam radix, & fons, unde emanant ac procedunt omnia reliqua, est oblivio DEI, & dum quis quasi proseripit Divinam Majestatem ex suo corde. Hoc est magnum damnum, ac malum animæ: sicut enim maximum bonum ipsius est, memoria & præsentia Domini DEI, eò quòd adferat tanta bona luminis, fortitudinis, infallibilitatis, facilitatis in operibus,

ac virtutibus, & alia innumera bona: ita oblivio DEI secum invehit ingentia mala, tenebrarum, obscuritatis, deceptionum, cæcitatibus, pigritiæ, & fastidij rerum sanctarum, ac virtuosarum, aliq; multa: eò quòd sit, ut ajunt, radix & principium omnium malorum, ac damnorum spiritualium.

Quamvis autem videatur, sitq; magis contrarium isti Divino amori peccatum, quod actualiter committitur, credo tamen sinè omni dubio; hujus ipsius radicem ac principium esse, prædictum malum oblivionis DEI: ideòq; qui habuerit memoriam DEI, valde erit vicinus immunitati à peccato, qui verò habuerit oblivionem, lapsi & peccato.

2. Secundum, quod impedit hunc Divinum amorem, est, cupiditas inordinata quarumlibet rerum, quamvis sint bonæ & spirituales, quæ transgreditur limites resignationis quoad omnia, in Divinam voluntatem.

3. Tertium sunt, peccata ac defectus animæ, præcipuè illi, qui committuntur in eo profundo ac miserabili somno oblivionis DEI.

4. Quartum est, si anima habeat ali- quod idolum, quod adorat, volo dicere, aliquam creaturam, cujuscunq; generis, aut conditionis sit, quam nimium amat.

5. Quintum est, quædam insensibilitas ac tepiditas culpabilis, in desiderando, & exoptando thesauro cœlesti Divini amoris.

6. Sextum est, quod pro sanctis ac bonis desiderijs, quæ illi dat DEUS, & communicat, ut exercent virtutes, seseq; perficiat, & pro ijs, quæ cum ipsis operatur, velit ac intendat, quamvis occultè, suam mercedem, & utilitatem: cum ipsi sufficere deberet sola gloria DEI. Hi sunt gigantes, & hostes vehementer contrarij Divino amori, & qui hoc vicerit, existimo facile fore, ut cæteri omnes superentur. Det nobis Dominus ad hoc obtinendum suum Divinum spiritum. Amen.

Dddd 3


§. III.

§. III.

*Origo & causa nostri amoris erga
DEUM, & erga nos ipsos.*

Cum noster Dominus, ac magnus DEUS, sit bonum infinitum, adeoque dignus amari, amore magno ac infinito, creaturæ verò non possint illum sufficienter amare, sicut esset amandus, neque sint tanti amoris capaces, nè Divina Majestas careret eo, quod merebatur, eique tam justo titulo debebatur, providit ab æterno idemet magnus Dominus, ut tributum tantopere tali bonitati debitum, ipsi penderetur, per amorem infinitum, cujus ille solus est capax, & ipsius Magnitudo ac Infinitas, quæ seipsum perfectissimè comprehendens, infinitè se amat, amore infinito. Ex hoc immenso ac infinito Divino amore, quo noster magnus DEUS ac Dominus seipsum amat, oriuntur, & prodeunt flumina ac fontes Divini amoris, quem communicat idem Dominus suis creaturis, tanta cum virtute, & cum ijs effectibus, ut, qui illum assequitur, & particeps fit hujus Divini ignis, ac dulcium aquarum, non possit esse otiosus, neque continere istud bonum in se solo, quin communicet ac impertiatur aliquid hujus Divini thesauri illis, qui ab eodem Domino sunt consecuti ipsius Divina bona, suntque abluti sanguine Christi JESU Domini Nostri, & absorpti ac immergi in hoc Divino mari amoris ipsius. Hoc Divinum mare infiniti amoris, quo DEUS seipsum amat, continet, & complectitur in se talem virtutem, talemque generositatem, ut dum se copiosè communicat omnibus vasis electis & sacris, videlicet Beatis, & ani-

mabus puris, replèturque ipsorum sinus hoc Divino liquore, non imminuatur, nec deficiat, aut exinanietur, & instar maris retineat nihilominus istam abundantiam, ut inde profluant flumina harum Divinarum aquarum, eodemque revertantur. Si quidem origo & causa hujus amoris, quo creatura amat suum DEUM ac Dominum, est, quòd ipse illum respexerit ac amaverit, ubi habet suam virtutem ac vim iste Divinus intuitus ac amor, qui est principium, ac finis & causa universalis omnium nostrorum bonorum, quæ nobis obtigerunt per Christum Dominum: per quem Dominum facti sumus grati æterni Patri. Huic Bono nostro ac thesauro, Christo Domino Nostro, non fuit satis, ut nobis adferret omnia ista bona, redderetque nos eorundem participes, & esset nostra salus, ac noster Redemptor; sed dignatus est præterea, esse noster Magister, & nostra Lux, nosterque Dux: ut hac ratione videntes ipsum, & cum eo agentes, cognosceremus illum, & amaremus, ac imitaremur, sequeremurque ejus vestigia, amando vehementi amore ac desiderando crucem, quam ipse amavit, cum hæc sit vera probatio amatorum Christi Domini, nec non abhorrendo ab omni eo, illudque spernendo, quod ille spreverit, & à quo abhorruit. Ista ingentia bona, quæ habemus, in nostro Bono ac Domino, & quæ ille, quoad hoc, habet in semetipso, volui explicare his lineis, eò quod illa sim experta, ac delibaverim, ipsèdemque valde delectata, & initiata fuerit mea anima.



CAPUT XXX.

Quomodo illam docuerit DEUS, quæ sint bona
Orationis, & quæ ad eam requirantur, ut exaudiatur, nec non,
qualia, & quomodo sint petenda.

§. I.



Magnum & specialem in me affectum incitauerant illa verba Christi, Domini, dicentis: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Interea tempore quodam matutino (in Majo A. 1623.) dixit mihi Dominus: Veni mecum Anima, cum habeas talem affectum, & ostendam tibi, quid sit Oratio, atq; magna bona & thesauros, qui in illa continentur. Et uniendo secum meam animam, duxit ipsam in momento ad cœlestem Ierosolymam, ostendensq; illi maximum & pretiosissimum thesaurum, dixit ipsi: Attende anima: Oratio est thesaurus similis isti, quem vidisti in hac figura, quo emitur Regnum Cœlorum. Deinde, monstrans mihi quoddam Symbolum spiritualissimum armorum, splendidissimorum, & potentissimorum, dixit meæ animæ: Oratio est armatura, virtus, & fortitudo contra omnes hostes, & contra omnes tentationes, quam repræsentant hæc arma. Postea verò ostendens mihi calicem, ex purissimo & splendidissimo, ac spiritualissimo auro, in quo erat pretiosissimus liquor, dixit Dominus animæ meæ: Oratio est quædam Divina & pretiosa theriaca contra omnes morbos, & venena animæ, cujus figura est, liquor hujus calicis, quem vidisti. Tum exhibens mihi spectandos illos Beatos Spiritus, qui ipsi assistunt in illa cœlesti aula, & agunt cum animabus, degentibus in mundo, dixit Dominus meæ animæ: Oratio, est conversatio animæ, cum Beatis Spiritibus. Deinde subjunxit

Dominus: Adverte, Anima: Oratio est continuata assistentia animæ in conspectu sui DEI, & in Divina ipsius præsentia; est item tranquillitas, pax, & quies animæ in suo DEO. Hoc est Oratio, & ista sunt ingentia bona ac thesauri, qui in illa continentur, eiq; sunt adnexi: & cum te duxerim, Anima, ad meam cœlestem curiam, ostenderimq; tibi tanta bona, ac valorem Orationis, nolo, ut abeas vacua, absq; ulla mea gratia. Quia versaris continuè in meo conspectu, degisq; in mea præsentia, & tradidisti mihi tuum cor, ac promptam voluntatem, ut in omnibus fiat mea, velisq; omnia dare, quæ habes & possides, unaq; vitam, cum ista convenientia & conformitate, volo te honorare, conferendo tibi propriam manu habitum, qualis confertur Equitibus, quorum professio est, decertare pro meo honore, & veritate fidei. Quod dicendo Dominus; induit me quadam veste honorificentissimâ, in conspectu omnium Angelorum, quæ habebat in pectore rubram crucem, tales ex se vibrantem radios lucis ac splendoris, ut mei oculi non possent sustinere ipsius claritatem. Postquam autem Dominus peregrisset hoc mysterium, exhibuissetq; tantam misericordiam meæ animæ, dedit mihi suam sacro-sanctam Benedictionem, & tradidit me meis Dominis Angelis, qui me abduxerunt, cum magna sua admiratione & mea, reposueruntq; in me angello. Mansi abstracta à sensibus multo tempore. DEUS sit benedictus.

Postquam ad me redij ex ista abstractione, considerabat mea anima, vehementer obstupescens tanta mysteria, quæ in ipsa erant à DEO peracta, & manifestatas sibi à DEO prærogativas Orationis,
ac de-

ac deinde ipsum ingerogavit, dicendo : Mi DEUS, & Domine mi, quandoquidem mihi dixisti, tanta bona contineri in Oratione, obsecro Te, dic mihi, quas debeat habere conditiones, ut sit perfecta, obtineatq; à Te misericordiam. Dicam tibi id (*respondit Dominus*) Noveris esse istas quinque: Charitatem, Fidem, Confidentiam, Humilitatem, & Perseverantiam. Si quis ita petiverit aliquid à meo Patre, & in nomine meo, exaudietur ipsius petitio, & obtinebit, quod petet, priusq; peribit Cælum ac terra, quam verbum DEI.

Quod attinet ad has quinque conditiones, animadvertendum est, charitatem plurimum jurare, ut exaudiat Orationem, non esse tamen necessariam, quando peccator habet alias quatuor: & propterea Dominus non addidit, sine istis quinque non exaudiendum. Sanctus Thomas 2. 2. quest. 83. articulo: 16. addit, peccatorem exaudiri, non ex justitia, sed ex pura misericordia: proinde charitas est necessaria, ut quis exaudiat, quasi ex justitia.

§. II.

Audivit mea anima, quod ei DEUS ipsius dixerat, reposui humiliter dicendo: Cum ita sit, mi DEUS, procul dubio miserabiles meæ & indignæ preces, carent istis conditionibus, quas dicis, requiri; siquidem sæpe, ut mihi videtur, cum id non merear, non obtineo, quod à te peto. Non bene dixisti, Anima, respondit Dominus: certum enim est, te nihil à me petivisse, quod tibi non concesserim. Atq; si aliter est, dic mihi nunc, unde, quod à me dicitur, intelliges. si, quidquid à me petis, id petis cum resignatione in meam voluntatem, utq; in omnibus fiat, quod cedat ad majorem gloriam, & majus obsequium meum, ac bonum animarum, & bene petis, sicut oportet petere, atq; etiam petis cum dictis conditionibus, etiamsi interdum patiaris nonnihil naturalis fragilitatis, in confidentia, atq; ego omnia facio, sicut à me petis; quomodo, his suppositis, dicis, à me non exaudiri tuas oratio-


nes? Adverte, quòd me offendas, quòdque id sentiam.

Audivit mea anima, quod illi à DEO erat dictum, fuitq; vehementer pudefacta & humiliata, quamvis non desolata: cum autem occultè desideraret, plura reponere, intelligeretq; illam ipsius DEUS, dixit ei amanter ac benignè. Dic, age, Anima, interroga me, quidquid volueris, ego enim tibi respondebo, & satisfaciam tuis dubijs. Quo dicto mea anima fuit recreata, ut ipsum idcirco interrogaret ac diceret: Dic mihi igitur mi Domine, quando à te peto, & postulo, ut aliquid bene succedat, quod à te rescivi, cessurum in tuum honorem, & bonum animarum, vel salutem multorum, & video, id non fieri, neq; mandati optatæ executioni, quamnam potest esse hujus rei causa? Respondit Dominus quàm gravissimè: Animadvertite anima, semper petis, quemadmodum dixi, ut fiat in omnibus, & ante omnia, quod cedat ad majorem meam gloriam, prout fieri oportet: propterea, & propter liberum arbitrium, quod dedi homini, cum omnibus necessarijs & sufficientibus auxilijs, ut ijs bene utatur, faciaturq; quod est melius & perfectius, ordinariè, hoc modo, quasi ab invicem non discrepamus; quamvis meâ infinitâ potentia possim amplius ac amplius facere, & quidquid volo, quod est magnum meum secretum, in quo includuntur diversæ & gravissimæ causæ. Et cum hoc sit verum, debeatq; Divinæ Justitiæ suus locus, ac veneratio & honor, sicut misericordiæ, & clementiæ, omnibusq; cæteris Divinis attributis, offenderetur Divina Justitia, si ei auferretur ipsius honor ac potentia. Jam verò postquam Bonitas & Misericordia multum præstitit, imò plurimum homini, tribuendo ipsi liberum arbitrium; ille, & ejus tepiditas, pigritia ac malitia, & passiones inordinatæ, noluerunt amplecti auxilia Divina, & gratias ac beneficia: sed potius omnia hæc abominati sunt homines, ac spreverunt, hæseruntq; in abyfso iniquitatum ac miseriarum: alij verò sequendo suas occultas & vanas inclinationes, præpostere ju-

Audivit Dominus, quæ dixeram, & quodam gravissimo modo, mihi dixit: Disce confidere, & sperare in me, etiam contra spem, sicut fecit Abraham; quando verò tibi videberis, non esse à me exaudita, neque tibi à me concessum esse, vel concedi, quod à me petis, intelligas oportet, te id non percipere, tēq; à me nihilominus exaudiri, & concedi tibi, quod vis, & à me petis, quodq; cedit ad meam majorem gloriam & honorem, ac bonum animarum, quemadmodum tu vis, ac desideras. Ut verò probem tuam fidem & confidentiam, præsto tibi quandōq; hac in re, quod tu nescis, nec intelligis, propter tuos timores ac imbecillitatem naturalem. Dico autem tibi iteratō, ut petas quicquid volueris, discāsq; confidere in me, sicut tibi dixi, ac deponere superfluos timores & pusillanimitates, suspendereq; tuum iudicium, &

omnia mihi committere. His omnibus auditis, fui humiliata, subiectiq; me, ac obsequuta sum istis Divinis veritatibus, & confortata sum alijs admirandis affectibus, quos mihi DEUS communicavit.

Concludamus eo, quod mihi ipsa reculit; illud nimirum dictum toties repetitum à Domino: Pete quod volueris, ego enim tibi id concedam, licet ab ipsa propter ejus timiditatem tunc non fuerit intellectum, dum illam ita alloquebatur, nihilominus ei visum fuisse univrsale, non coarctatum ad ullum tempus. omnisq; illam cum ista confidentia, pro omnibus necessitatibus, quæ ipsi ab alijs commendabantur; id quod non pauci faciebant.



CAPUT XXXI.

Quanti sit momenti Oratio mentalis, & quomodo sit conjungenda cum studio literarum, non intermissis ijs, quæ sunt agenda ex officio.



Ex libro proprie experientie didicit Venerabilis Marina, magnum esse momentum Orationis mentalis, quæ comprehendit meditationem Divinorum mysteriorum, & familiaritatem cum DEO, quarum utilitates strictim descripsit hunc in modum:

§. I.

Oratio, inquit, est potentissimum & efficacissimum medium, ad nos liberandos, ab omnibus nostris spiritualibus infirmitatibus. Hæc nos curat à gravissima infirmitate, quam omnes patimur, nostræ propriæ voluntatis, & evellit ex corde, quicquid nos potest impedire, & remove à perfecto amore DEI: dum

nāmq; anima cognoscit suum magnum DEUM ac Dominum, specialiter ab ipso met illuminata, exardescit Divino illius amore, ac desiderijs ferventissimis, exequendi Divinam voluntatem, destruediq; suam propriam, & sic inflammata fœdit, rejicitq; à se, quicquid non est DEUS, ac desipiunt illi omnia, quæ ipsam separant, ab eo amore forti, svavi, casto, & pleno omnibus bonis. Quodsi velimus curari ab infirmitate superbæ tam periculosa, adeoq; radicata, in nostris cordibus, nescio aliud potentius medium, quam sit, recurrere ad DEUM, per orationem, ubi homo cognoscit seipsum, & per istam cognitionem se abominatur, ac desiderat ut illam execrentur, ipsiusq; obliviscatur omnes, quia videt ac intelligit, se id mereri. Quò verò amplius cognoverimus DEUM,

DELM, eò ampliùs cognoscemus nos ipsos, sicut, si quis se intueatur in clarissimo speculo, habens bonos oculos, quibus videbit & agnoscat omnia sua peccata, & ea emendabit. Atq; hac ratione cœlestis medicina Orationis sanat ac liberat, ab omnibus malis & miserijs. Unde ego miserabilis & pauperrima, quæ nec valeo, nec possum, neq; scio quidquam, inuenio remedium mearum necessitatum ad pedes mei DEI: ibi peto, ibi spero, & ibi obtineo remedium. Quòd si illud alij alio modo inueniunt, ego id non inuenio melius, quàm isto; & possum dicere, unumquemq; ut communiter dicitur, æstimare nundinas, ex successu, quem in illis habet.

Omnia hæc sunt verba ipsius famule DEI, quæ familiaritatem cum DEO vocat, omnium optimum exercitium, propterea quòd in eo exerceantur actus omnium virtutum, & obtineantur pro ipsis vires. Hæc erat sententia Marina, de exercitio sanctæ Orationis, & in suis colloquijs ac scriptis, idem valde serid inculcabat, specialiter in uno, quod iussu DEI, & gloriosi sancti Dominici exaravit ad Patrem Provinciale Ordinis Predicatorum, hujus Provinciae Hispanice, & ego referam, cum sit ipsius doctrina utilissima, quibuscumq; Religiosis. Sic autem dicit:

§. II.

DEUS sit in anima vestra Paternitatis, Amen.

Cùm magnus DEUS noster ac Dominus sit tam infinitè bonus & sapiens, ac misericors, adeòq; amans suarum miserarum creaturarum, ut propter istum amorem ac bonitatem suam, ejus Majestas se dignetur illis communicare, atq; hæc in re facere ea, quæ judicio nostri exigui intellectus videri possint, indigna ipsius Magnitudine ac Majestate: cùmq; propter hæc opera & magnificentiam suam, sit tam dignus laudari ac amari & honorari ab omnibus; quando anima advertit ex inspiratione, & speciali ipsius lu-

mine, bona & magnificentiam ejusdem Domini, quoad hoc, dignam sola ejus bonitate, & Esse Divino ac infinito, ut nulla lingua id possit explicare, neq; intellectus comprehendere vel assequi: quando etiam propterea agnoscit, quantopere simus omnes obligati ipsi servire, eùmq; amare; loquitur ex instructione & obedientia, miserabilis creatura, quæ ex se non est capax, neq; potest habere virtutem, aut capacitatem, pro rebus majoribus, vel alijs, quàm sint eæ, ad quas illam ejus conditio ac dispositio obligat, & quæ illi conveniunt: ipsius enim virtus est, quæ sola id potest præstare, potestq; dare loquelam mutis, & auditum surdis, ac visum cæcis, sicut scimus esse factum, à Divina ejusdem Majestate. Ac proinde dico, ideo, & ut me magis declarem, quòd magnus DEUS Noster ac Dominus dignetur frequenter, ex suis immensis & incomprehensibilibus judicijs, ac infinita bonitate, commonefacere homines de eo, quod ipse vult, per debilia & exiguæ virtutis atq; capacitatis instrumenta, ut ita magis cognoscantur ipsius opera, & magnificentia, ac infinita potentia, cùm nullo indigeat auxilio, ad faciendum id, quod vult, velitq; ejusmodi instrumenta quærere, quæ convenient & congruant operi, quod Divinæ ejus Majestati placet, peragere & operari in suis creaturis: utq; præterea cognoscatur & appareat illud, quod Divina Majestas vult eà ratione peragere ac operari, esse ipsius opus, & specialem ejus voluntatem: siquidem, ut dixi, loquuntur muti, & audiunt surdi. Supposito jam eo, quod dictum est, & cùm ita se res habeat, ut vestra Paternitas novit, duo sunt, quæ cum gratia DEI dicere, & de quibus commonere Vestram Paternitatem vellem, non quasi existimem, Vestram Paternitatem non gere eorum curam, sed ut intelligat & percipiat specialius voluntatem DEI, ac sancti Dominici, Patriarchæ hujus Sacræ Religionis: Siquidem idcirco DEO placuit, imponere humeris Vestræ Paternitatis crucem & onus ejusdem gubernandæ, in quo non possunt deesse ea, ad quæ attendat,

Eccc 2

dat, & de quibus sollicitetur. Primum igitur sit, ut Vestra Paternitas conetur valde seriò & ardentè, in omnibus suis colloquijs & adhortationibus, peculiari curâ persuadere suis Religiosis, studium sanctæ Orationis, & meditationis rerum Divinarum, in qua consistit, meo iudicio, maxima pars omnis nostri boni, & perfectio in omnibus rebus, sicut ante annum disseruimus, si Vestra Paternitas meminit; ut hac viâ ac medio, & quàm optimè potuerint ac sciverint (in hac enim schola optimè solet disci) appropinquent ad DEUM, quantum ipsis est possibile, ferantq; illum semper in oculis suæ animæ, in omnibus suis operibus, verbis, & cogitationibus, atq; in hoc perseverent svaviter, patienter, & humiliter, expectantes DEUM, quia infallibiliter aderit Divina ipsius Majestas, ubi fuerit tempus: utq; ad eò, & quidem specialiter, scholastici Religiosi, qui student, ac navant operam discendæ Sacræ Theologiæ, ut doceant populum, sintq; Magistri in Ecclesia, non solum satis se fecisse arbitrentur, si studeant, ac discant sacras istas literas, pro instruendo populo, sed simul studeant, se seq; impendant, magnâ curâ ac diligentia, addiscendæ huic sacre Scientiæ, & Facultati Orationis ac Meditationis, ubi addiscitur Divina ars & scientia virtutum, atq; imprimis sanctæ humilitatis, & amoris DEI ac proximi, quam nisi quis didicerit apud pedes Christi, Nostri magni Domini & Magistri virtutum, non poterit esse verus & perfectus Magister: ideòq; nemo illorum decipiatur, cogitando, quòd absolutis studijs Sacræ Theologiæ & Literarum, nihil ipsis ultra sit agendum, possintq; prodire ad alloquendum & docendum populum Christianum: quia si non studuerunt, & se impenderunt, addiscendæ huic sacre Scientiæ, de qua sum loqvuta, facile, cum deberent populum docere humilitatem, proderent suammet superbiam, atq; ista ab Auditoribus disceretur. Quando enim hoc malum occupat animam, semper se prodit per verba & opera nescio quid mali odoris, qui inficit, & indicat pestem latentem.

Cum verò etiam deberent docere charitatem, & amorem DEI ac proximi, doceretur ab illis, propter prædictam rationem, non hoc, sed aliquid aliud, omnino diversum. Convenit igitur ad evitandum hoc tantum malum, imprimis imbui illos virtute (ut verè ac seriò illam addiscant, & proficiant) atq; ubi istam didicerint & exercuerint, tunc perageretur ad gloriam DEI optimè, & cum profectu, ille labor ac munus. Et credant mihi, ad obtinendum & assequendum hoc tantum bonum, ut sint boni Magistri, & quælibet alia bona, summè ac specialissimè prodesse Sanctam Orationem ac Meditationem, & quidem tantopere meo iudicio, ut si me interrogarent centies & millies, quodnam sit remedium maximum & efficacissimum, pro consequendis omnibus bonis, ac ad occurrendum omnibus necessitatibus & miserijs, quas anima patitur in hac vita, semper dicerem, esse Orationem ac Meditationem. Atq; si mihi similiter diceretur, quid maximè proficit, ad obtinendam à DEO misericordiam, & possidendam perfectum ipsius amorem ac proximi, sanctamq; humilitatè, & cognitionem propriam nostrarum miseriarum, tam necessariam, dicerem assidue, esse Sanctam Orationem & Meditationem: hæc enim verè elevat animam, ducitq; ad suum DEUM ac Dominum, & per hanc ipsa illum attrahit ad se. Dum autem habet ac possidet anima, istud tantum bonum, & hoc tam clarum lumen, atq; hunc taci opulentum & pretiosum thesaurum, est illi facillimum deferere seriò & ex animo, omnia propter ipsum, eundemq; amare perfecte, non jam vivendo secundum carnem & sanguinem, sed amando, in suo DEO ac Domino Christo, Bono nostro, ipsius Crucem, & quidquid ille amat, ac abhorrendo ab eo, à quo ipse abhorret, jam absq; difficultate & repugnantia: Sed quidem caro jam est subjecta & subjugata Spiritui. Hæc bona & commoda hauriuntur, cum DEI gratia, ex ea bonorum scaturigine, & fonte Sanctæ Orationis, ad eò commendatæ ab omnibus Sanctis

ctis, & à nostro magno Magistro ac Domino, Christo nostro Bono. Et credat mihi Vestra Paternitas, me loqui, de hoc bonorum genere, ut quæ sim experta id, quod dico, esse verum: Siquidem DEUS & Pater misericordiarum, consideratâ ac spectatâ meâ imbecillitate ac indigentâ, ut semper opus habuerim recurrere ad Divinam ipsius Majestatem, me duxit hac viâ, ab ipsis primis annis meâ infantia, quamvis ego ex omni gratia valde malè, & parum sciverim proficere, quod mihi Divina Majestas dignetur ignoscere per suam misericordiam. Unde ajo hoc esse, de quo magni refert, commune facere, ac edocere omnes, & sicut dixi, specialissimè Religiosos studentes, qui docebunt alios, & erunt Magistri animarum. Secundum est, ut Vestra Paternitas peculiari sollicitudine procuret collectionem suorum Religiosorum, præcipuè verò juvenum, quibus est consultissimum, cavere familiaritatem & conversationem hominum secularium, etiam virorum: quia, quod attinet fæminas, clarum est, multo magis esse advertendum, ut evitentur, & hæc res est magni momenti: licet enim fortè non esset aliud incommodum, vel periculum metuendum, quàm, quod plerumq; incurritur, agendo & conversando cum hominibus non spiritualibus, sed fortasse dissolutis, quòd nimirum relaxetur Spiritus & capiatur delectatio ex rebus exigui momenti & fructus, atq; ita ijs adhareseat affectus erga talia, cum aliquo excessu: est tamen magnum inconveniens, quòd inde soleat resultare summum damnum, dum ita staccit vigor animæ, invaduntq; illam passiones carnis & sanguinis, à quibus, dum occupatur anima, non invenit in ea locum DEUS: quia ipsius Majestas zelosissimè amat animas, neq; permittit secum morari, & conjungi quidquam, quod sit illi contrarium, ac indignum ejus præsentia & amore. Atq; hoc est, quod de re præsentî possum dicere Vestræ Paternitati, quam obsecro, amore DEI, ut mihi ignoscat, suscipiatq; pro sua charitate, malum modum, quo hoc

retuli, quia magna mea debilitas ac defectus mearum virium aliud non patitur. DEUS dignetur rata habere omnia, detq; Vestræ Paternitati suum Sanctissimum Spiritum, ut in omnibus ipsi placeat. Valisoleti, 27. Octobris, Anno 1599.


§. III.

Aliam epistolam scripsit cuidam Patri gravi ac docto ejusdem Religionis, qui ipsi aperuerat suas intentiones, & ab illa petiverat consilium, quid sibi esset agendum, eò quòd desideraret, agere vitam solitariam. Et verò plurimum refert, ne sub titulo humilitatis, & frequentioris orationis, se ex pusillanimitate dedant solitudini ij, qui sunt præditi talento, ad benefaciendum alijs. Dicit porro ita:

Quod mihi videtur, de negotio Vestræ Paternitatis, postquam illud DEO, quàm diligentissimè, ac perattentè commendavi, & juxta lumen mihi à DEO datum, expendi & consideravi statum ipsius animæ, est, ut eam moneam, non convenire ullâ ratione, ad majorem DEI gloriam, ejusdemq; obsequium, ac bonum, tum propriæ animæ, tum Religionis, ut Vestra Paternitas agat, de mutatione loci, quod illi nunc in mentem venit. Ratio autem, cur id DEUS & Sanctus Dominicus fieri nolit, est, quòd non obtineatur, victoria fugiendo, sed pugnando, & quòd vilium animorum sit, vitare pugnam necessariam, atq; hostes conjunctos & vicinos animæ, quos certum est, ipsam infecuturos & impugnatos ubivis, & in omni loco, quòdque, idcirco sit convenientius, & gratius Divinæ Majestati, certare in simili casu, & statu animæ, qualis est Vestræ Paternitatis, quàm fugere, etiamsi ex certamine referat aliqua vulnuscula: cum res connexissima pugna sit, accipere aliquem ictum, quoadusq; is, qui exercetur, acquirat dexteritatem, & Divina Majestas, cognoscens nostram debilitatem ac miseriam, sæpe nobis compatitur. Hoc est, consequi virtutem (dicit Dominus) & obtinere ipsius coronam; aliter autem se gerere,

rere, in hujusmodi statu animæ, est, esse pusillanimum, & possidere virtutem imperfectam, dummodo sic fugiendo, ipsam obtineat, quod difficulter fiet, quamvis tali homini id videatur facile. Et plus valet modicum, si modicum dici potest, acquisitum legitimè, quàm multum, quod obtinemus medijs, mutuatis à spiritu nostræ pusillanimitatis. Ut proinde non conveniat, sicut dixi, ad majorem gloriam DEI, neq; ad majus ipsius obsequium, quod in hoc eventu videtur, fieri consideratè & prudenter, sicut Vestra Paternitas existimat: cum tamen non sit illustrata peculiari lumine DEI, sicut par est, ut illuminetur, pro simili negotio mandando executioni: præterquam, quòd DEUS nullo modo moverit ipsius voluntatem ad hunc finem. Quod decet fieri, ceditq; in majus obsequium DEI, est, ut, confidendo in Divina Majestate, quæ nunquam deest ulli eam quærenti, animo forti & constan-

ti, pugnet contra se ipsam, & contra suas naturales propensiones, laborando, & anhelando, cum sudore vultus sui, & viribus superioris partis animæ suæ, pro obtinenda virtute, & victoria sui ipsius, cui respondet corona floridæ laureæ, quæ datur, non solum cordibus ac pusillanimis, qui fugiunt, & vertunt tergum hosti, illos deniq; insecuturo sed generosis militibus, qui obijciendo ipsi pectus, & animosè resistendo, illum vincunt, sibiq; subjugant. Hoc si factum fuerit, ac mandatum executioni, multum valebit, ac æstimabitur in conspectu DEI, cum ista sit ipsius voluntas, ceditq; ad magnum fructum, & commodum speciale Religionis, quam ipsius filij semper debent quàm pronissimâ voluntate, & spiritu juvare, donis acceptis in hunc finem à DEO, & à Sancto Dominico.



CAPUT XXXII.

Quales oporteat esse Superiores, & Confessarios, ac Patres Spirituales.

§. I.



Declaremus, quales debent esse Superiores, ac Prælati Religionum, ut perfectè exequantur sua munera.

Debet Prælati esse Servus DEI, bonus Dux militiæ Christi, bonus Pater, bonus Judex, & bonus Pastor.

Debet esse bonus Dux Exercitus Christi JESU Domini nostri, sapiens, prudens, & generosus; ipsum enim oportet esse primum, & præcipuum, ac præcedere cæteros, in omnibus operibus virtuosus ac religiosus, quantumvis arduis & difficilibus. Debet quoq; docere magis exemplo & O-

ratione, quàm strepitu verborum, ita ut sit viva regula reliquis omnibus. Debet præterea esse minister ac servus suorum militum, & subditorum, memor Christi JESU Domini Nostri & Magistri, qui venit ministrare & non ministrari, sicut ipse semet dixit; debetq; libenter exponere suum honorem, & suam vitam, ac sanctitatem, si esset opus pro Ordine, ac beneperagendo suo officio, & pro honore sui Domini ac DEI. Debet quoq; idem Prælati esse bonus Pater, mansuetus, affabilis, consolari afflictos, & prospicere necessitatibus ac miserijs naturalibus & spiritualibus filiorum Christi JESU, qui illis ipsi confidit, commisitq; illius manibus & protectioni. Debet insuper esse prudens & sagax in suo regimine, qui sciat stringere ac

re ac laxare, quando, & sicut magis expedit pro bono ordine rerum, & ad gloriam DEI, ac bonum & augmentum suæ Religionis, ac domus, accommodando se, & compatiendo naturis, genio ac virtuti suorum subditorum.

Debet esse bonus Judex, exequutor justitiæ, si id exigat necessitas, & gloria DEI; fidelis, rectus, discernens verum à falso, & liber à passionibus, semp̄q; habens præ oculis DEUM. Debet etiam illam integre exercere, non mutando, neq; invertendo naturam, quam ipsi DEUS regendam dedit, sed perficiendo ipsam & accommodando legibus Religionis ac justitiæ, ut in omnibus DEUS honoretur & glorificetur, ac sacra Religio prosperè per ipsum procedat & augeatur. Debet quoq; iste Prælatus, esse bonus Pastor gregis JESU Christi, curam habens suarum ovium, & erga easdem hospitalis, quærens, si id sit necessarium, ovem perditam, & referens in suis humeris ad gregem, ligans ac solvens, quam optime potuerit, cum charitate, oratione, & commiseratione, illius fracturas, vulnera, & miseras, imponendo ipsius ori salem orationis, ut illum sumat, qui curat ac sanat miseras humanas, ac vegetat & confortat, pro omnibus bonis spiritualibus, estq; præsidium & castrum Divinum, quo se recipiunt pauperes, ac vulnerati milites, ut quiescant & curentur.

Hæ sunt leges inviolabiles, quas DEUS vult servari, à Prælati, ac Superioribus, & si quis est, in quo non reperiatur, neq; ipsi data sit ista dexteritas, seu Spiritus DEI, vehementer illum rogo, nomine DEI, cujus credo esse id, quod dico, ut si non vult errare, & perdere, tum se, tum alios, fugiat ad montes & solitudinem, non materiales, sed spirituales, quæ siturus DEUM, ac operam daturus suo profectui, & curæ sui ipsius, donec illum ipsemet DEUS educat ad hoc opus, suâ potenti manu, operâ & virtute Sanctæ Obedientiæ: tunc enim bene procedet, & rectâ viâ progredietur. DEUS nos illuminet suâ Divinâ bonitate, dirigatq; in omnibus operibus nostris.

His qua dicta sunt de Superioribus, volo adjungere, quod scripsit, dicens, se ex Divina communicatione intellexisse, fieri à DEO magnam gratiam ijs, qui gubernant, dando ipsis, qui illos adjuvent, aliquos speciales suos amicos in term, & confidentiam erga eosdem: quamvis enim regimen generantim, non debeat inniti revelationibus, quas illi ipsis referunt, sed præceptis DE I, ipsiusq; doctrinæ, & proprijs Constitutionibus ac Regulis approbatis: nihilominus eveniunt quedam specialis momenti ac difficultatis, pro quibus prudenter peragendis, esset error, non uti consilio horum amicorum DEI, & illa cum ipsis non conferre. Hoc monitum videtur simile illi monito Ecclesiastici: Cox boni consilij statue tecum. Nam anima Viri Sancti interdum revelat melius veritates, quàm septem excubitores, qui sedent in specula, ad illas explorandas.

§. II.

Quod Servo DEI Confessario, & Patri spirituali incumbit faciendum, ut profit animabus, quæ sunt curæ ipsius commissæ, & quas regendas suscepit, amore DEI, primum est, purificare seipsum, & esse sanctum, ac verè amicum DEI, quia reverà nemo potest dare alteri, quod ipse non habet, estq; certum, quòd quale est lac à matre datum filio, talis sit futura ipsius educatio, vigor & robur.

Secundum est, ut assumat hoc tantum negotium, juvandarum animarum, consideratè ac seriò, utq; sciat aestimare, & magnificare valorem ac dignitatem animarum, liberatarum, & emptarum Divino ac infinito pretio sanguinis JESU Christi Domini Nostri, qui dixit, delicias suas cum filijs hominum. Et cum istæ animæ sint templum, ac habitaculum Spiritus Sancti, ubi ipse hospitatur, est hoc Patri spirituali singulariter considerandum ac ponderandum, debetq; se aestimare felicem, ac beatum, & humiliare se cum gratiarum actione, eò quòd DEUS ipsum dignetur ex sua bonitate eligere pro suo

fuo œconomò, qui illi debeat apparare & exornare domum, in qua ipse sit habiturus & hospitio excipiendus; nec non pro hortulano, qui debeat colere ipsius hortum, ut proferat copiosum fructum, & svaves ac odoriferos flores virtutum & devotionis, quò omnia possint proponi in conspectu & in mensa magni Regis, ut ea suscipiat in sacrificium & holocaustum.

Debet tertio, serio, ac toto corde desiderare, salutem & profectum talium animarum, & offerre pro illis DEO Orationes ac Sacrificia, rogarèq; Divinam Majestatem, ut ipsum faciat idoneum Ministrum & Coadjutorem suum. Amet quoq; illas ità in Domino, ut sit paratus, si opus esset, exponere vitam, pro earum salute, & gloria DEI, ad id faciendum libenter propter Dominum, qui dedit suam Divinam, pro salute omnium. Quòd si viderit exiguam dispositionem, ad proficiendum, ex parte pœnitentis, non propterea despondeat animum, aut fiat pusillanimis, vel affligatur, sed speret in DEO, cujus est illud opus, corde dilatato, fore, ut ipse, per suam bonitatem & misericordiam, illam promoveat ac provehat in lucem, quomodo, & quando ejus Majestati visum fuerit ac placuerit, secundum magnitudinem ipsius occultorum & altissimorum judiciorum: cogitèq; & credat, se tantum esse miserabile instrumentum Divinæ Manús, cujus est istud opus, sicut diximus.

Quarto, debet conari, magnâ curâ & sollicitudine, si vult erigere magnum & pulchrum ædificium, ut faciat fossas, jaciatq; profunda & solida fundamenta, volo dicere, adnitendum ipsi esse, ut auferat ab anima terram, ac vilitatem honorû terrenorum, vanorum ac temporalium, atq; etiam quorundam aliorum, qui videntur spirituales, & non sunt: utq; anima se ex proposito collocet in sterquilinio suæ vilitatis, & sui nihili, testâ radendo sua ulcera & saniem instar Jobi. Et credat Confessarius, non reperiri (meo judicio, atq; secundum id, quod, DEO dante, sum experta) aliam majorem dispositionem,

quàm hanc profundam humilitatem, ut Divina Majestas operetur stupendas & admirandas res suas, in anima.

Debet quinto, reddere animam propensam, quantum est possibile, erga amorem DEI, & erga ipsius Crucem, ac ad patendum pro Domino, qui in ipsa nos redemit, condiendo illi istam escam Crucis mille modis, ut illi sit addicta, & sapiat omnimodè, instar mannæ filiorum Israel, quia reverâ bona ac thesauri, qui in ea reperiuntur, sunt manna absconditum illi, qui eam degustat, continet enim saporem omnium rerum Divinarum, & ipsius amor DEI, quo nihil amplius dici potest.

Sexto, conetur omnibus suis viribus proscribere & enecare in anima pœnitentis, qui est cupidus sui profectus, omnè judicium proprium, omnemq; propriam voluntatem. Hæc etenim est pessimum animæ vermis; tinea, quæ omnia bona ipsius corrumpit, ea corrodit, ac destruit. Debet autem Confessarius & Pater Spiritualis illam hac in re adjuvare & exercere, cum sancta prudentia, proponendo ipsi mala ac damna, quæ ista vitia adferunt animæ: debet etiam propterea expendere & explorare genium, virtutem, ac naturam pœnitentis, & gratias ac dona, quæ DEUS ipsi communicavit, & secundum hoc, tendere vel remittere nervum arcus mortificationis, & probationum, quibus valde est necessarium, & conveniens, illam exerceri, pro ipsius profectu, utq; omnes virtutes unitæ edant svavem & concordem musicam, quæ bene ac svaviter resonet, in auribus DEI. Debet quoq; Confessarius, Servus DEI, ut hoc opus bene peragat, observare in eo modum svavem & gravem, qui sit acerbus, unaq; dulcis, ne anima inspiens, in virtute debilis & infans, exasperetur, vel concidat animo, propter nimiam acerbicatem, id quod ipsi multum posset obesse; nec propter nimiam dulcedinem magis infantescat ac debilitetur: utq; corroboretur & acquirat vires requisitas ad obediendum, quæ res est clavis hujus torius ædificij, & illud quod illam debet plurimum adhorreri.

Præ-

Præterea, illidebet magis operibus (quæ ille intelligat, cognoscat & percipiat, si nimirum toleret ipsius fragilitates ac tædia, & alia) quàm verbis, præbere indicia magni desiderij, quo optat ipsius salutem, & majorem profectum, quia alioquin fortasse parum efficeret; & nullo modo expedit, animam in hoc statu macerare, & nimiâ fame Sacræ Communionis vexare, si anima sit pura, quia languescet, nimiâmq; concipiet internam tristitiam.

Debet septimò Confessarius, seriò persuadere pœnitenti, cupienti proficere, studium continuæ Orationis, adducendo ipsum & colloquendo, quantum potuerit, ad portas Divinæ Misericordiæ, ut petat elemosynam, instar pauperis Lazari, debetq; illum ducere in hoc exercitio viâ ordinariâ, quam nos docent Sancti (non verò aliâ) orationis ac meditationis, gratiarum actionis, & cæterorum huc pertinentium, continuæ quoq; memoriæ DEI, & ipsius præsentia. Quodsi, dum anima hoc modo procedit in isto sancto exercitio, bono ac utili, DEUS, qui est univerforum Dominus, intervenerit, duxeritq; ipsam ad aliam viam, non ita ordinariam, non debet illam Confessarius, ab ea abstrahere: Sed debet diligenter attendere ad id, quod DEUS operatur, & custodire suum illum agrum, ne veniant latrones & fures, qui sunt diabolus, cum suis imaginibus ac representationibus, & phantasia, humores, ac natura cum suis apprehensionibus, & illusionibus: id quod poterit agnoscere, prudens & peritus Pater Spiritualis, ex effectibus, quos ista producant in anima. Atq; si sub initia hujus novæ viæ, viderit Confessarius, quòd plerumq; tentent intrare in animam ista mala reptilia, reducat ipsam ad priorem viam ordinariam semel ac sæpius: ita enim expedit, & quia diabolus, ut est tam superbus ac hostis humilitatis, videns suos ictus resilere ad se, dum se anima humiliat, recedet pudefactus. Neq; timeatur, DEUM propterea offensum iri, cum enim sit, qui est, redibit Divina ipsius Majestas semel iterumque ita, ut nemo sit qui ipsi id possit impedi-

re, aut facere, quò minus exequatur, quod intendit operando in anima, quod vult, estq; conforme Sanctæ ipsius voluntati. Et probando hac ratione Confessarius animam, acquirat illius notitiam, perspicuumq; habeat, quoad hoc, ejus statum. Non aperiat autem Pater Spiritualis isti pœnitenti, quod sentit & cognoscit, de statu ipsius animæ, in re præsentis, quia non expedit, nisi quando est necessarium ad ipsius profectum, auxilium, & solatium, si eo indiguerit.

Hoc intelligitur de principijs, quamvis ista principia durent multis, vel paucis annis, prout DEUS disposuerit, donec nempe anima sit exercitata, & profecerit in virtutibus ac spiritu; si enim id adfit, parum hæc res potest nocere vel nihil, cum gratia DEI: habeatq; pro optimo signo, sanctum timorem DEI in anima, & quòd, hac viâ incedens, sit circumspecta & quasi timida, humilis, subdita, subjecta, & obsequens judicio sui Patris Spiritualis, cui vult obedire nomine DEI, qui ipsum illi dedit pro adjutore & Magistro: contrarium autem, ut est vana læticia & complacentia, atq; gaudium, licet sit modicum, eò quòd habeat res singulares, & extraordinarias, atq; vana quædam confidentia, quamvis occulta, quæ se semper prodit per aliqua indicia & signa sui mali coloris, atq; interna inquietudo, ut in nulla re spiritali videatur conquiescere, quam sentit, audit, intelligit, & cognoscit interne, atq; cum continua inquietudine audiat aliquid hinc, ac videat ibi, & parum sciat referre de eo, quod fieri interne experitur, prorsus est pessimum signum, & cura hujus morbi est, humiliare istam animam, ac abducere ipsam ab hac via, & efficere, ut observet modum ordinarium orandi, sicut dixi. Atq; ut procedat bene in gubernandis, & curandis hujusmodi animabus, debet Pater Spiritualis habere animum ac affectum, quoad ista, prudentem & sincerum, ut cogitet, credatq; Dominum DEUM, qui est, qualis semper fuit, in bonitate, sapientia, incomprehensibilitate suorum Divinorum judiciorum,

Ffff


& in.

& in omnibus reliquis suis attributis, facere, ac posse facere in animabus opera admiranda & stupenda, propter suam bonitatem, & bonam dispositionem, quam ad id habent, cum ipsius gratia, atq; hoc modo operatum semper fuisse, implendo Ecclesiam Sanctis, qui admirabilibus ac diversis fuerunt virtutibus ornati. Debet quoq; esse præditus, quadam prudenti astutiâ & sagacitate, ut exploret quàm diligentissimè, quâ ingrediatur & egrediatur diabolus, ipsiusq; ambages, qui frequenter, permittente id DEO, se transfiguratur in Angelum lucis, sicut vidimus, ut decipiat animas. Propter hæc omnia debet Confessarius habere pondus, & stateram fidelissimam in suo corde, ne natura ipsius ad alterutram partem inclinaret, sed ut consistat in medio, habeatq; præ oculis scripturam Sacram, & doctrinam Sanctorum. Dominus nos omnes doceat, detq; nobis suum Sanctissimum lumen & gratiam. Amen.

§. III.

Dicit Dominus, non esse optimum, pro Magistris vitæ Spiritualis, qui regunt animas, quas DEUS ducit vijs extraordinarijs, non habere affectum aut propensionem erga ea, quæ in hac materia debent docere, & ipsis communicare, quando illa existimant esse secunda, & conformia regulis, quæ in eam rem habentur: si enim careant illo affectu, vel habeant à talibus aversionem, necesse est, ut dent filijs Spiritualibus lac inspidum, quo generantur Spiritus exiguæ dispositionis, ut DEUS ipsis præstet tales gratias, sive ordinarias, sive extraordinarias, quarum

una valeat, ut ajunt, centum: volo dicere, ut per unam talem elevet DEUS animam ex statu imperfecto, ad perfectiorem, vel alium magis sublimem ac cœlestem perfectarum virtutum, & amoris DEI: neq; debet Magister esse tepidus, vel remissus in eo, ut velit scire, & inquirere spiritualia; sed instar boni mercatoris ac solliciti, non solum vendere illis, qui veniunt ad ipsius officinam, ut quærant merces, sed etiam ijs, qui transeunt per viam, & incitare illos, ut emant aliquid ex ipsius officina. Neq; debet dicere: Qui venerint ad meam officinam, illos suscipiam; sed verò facientem nihil euro: siquidem frequenter reperiet in aliquibus transeuntibus præclaram occasionem, quâ tam illi, quàm ipse valde evadat dives coram DEO, cui rem fecerit admodum gratam, intruendo illam animam, si erat innocens, atq; aperiendo ipsi fraudes, si erat illusa, & non incedebat per viam lucis ac veritatem Spiritus Sancti, & sacra Scripturæ. Non oportet istos dicere: Ego non debeo interrogare personas Spirituales, sed solum audire, & respondere ad ea, quæ mihi dixerint: quia sæpe evenient, ut interrogando eruant venas aureas admirandi Spiritus Divini, quo utriq; ditentur; alijs verò deprehendent stagna, & lacunas, ac sterquilinia fordida & abominabilia, quæ, candidâ nive apparentis Spiritus cooperta, latebant sub illo secreto: quæ si expurgentur per veram doctrinam, non inficiunt animam, neq; corrumpunt erroribus, quos fortè conceperunt per illusionem, & opera diaboli, nostri adversarii, ac hostis capitalis.



CAPUT XXXIII.

Quomodo debeant amare Crucem Sponsæ Christi
Domini, ipsum imitando, & clausuram, quæ illis est
observanda.

§. I.

Debent dicatæ DEO Virgines id habere fixum in intimo animæ suæ fundo, omni conatu & cum omni cordis sui stabilitate, quod sint Sponsæ JESU Christi, Domini Nostri, quæ desponsatio cum ipsis peracta est, per verba de præsentî, quodq; idcirco se debeant, ut tales considerare, & servare huic cœlesti Sponso fidelitatem, tali Domino ac Sponso debitam. Utq; hoc faciant, debent præsupponere, eundem magnum Dominum ac Regem, Sponsum suum, esse maximæ Dignitatis, Majestatis, Potentiæ, & Magnitudinis; adeò ut illum non capiant Cœli Cœlorum, sitq; is, qui omnia replet, & complectitur: ad cujus pedes omnes creaturæ se demittunt, & genua flectunt, offerentésq; ibi suas coronas confitentur, se, omnia, quæ habent, ac possident, accepisse ab isto Domino, & per illum. Debent etiam præsupponere, ipsum esse præditum amore infinito, & infinitâ bonitate, vel propterea, quod dignatus sit oculos in ipsis defigere, à sua æternitate, & accipere illas ac assumere pro suis sponsis: atq; sicut dignatus est, & vult ex sua propria voluntate, ipsas elevare ad tantam dignitatem, ita etiam illum velle, ut hanc magnam gratiam, ac donum ipsius cognoscant hæ sponsæ, & se exhibeant gratas, utq; secundum hanc adeò debitam justitiam intelligant, se à Majestate hujus Cœlestis Domini, Sponsi sui, ardentissimè amari, neq; ipsum permittere aut velle, ut in in illis reperiantur alij amores, vel sit alius ipsarum amator. Præsupposito hoc

fundamento, & istâ veritate, videamus nunc magis speciatim, quomodo se gessit iste Dominus ac Sponsus erga istas suas Sponsas, qualiter illas amaverit ac amet, quomodo easdem vocaverit & eruerit ex manibus, & regione latronum ac Philisthæorum, adduxeritq; ad suam domum ac palatium regium: & quàm propterea sit conveniens, ut ipsum ament, eiq; serviant, & respondeant isti gratiæ ac misericordiæ, aptentq; se ad ipsius genium & voluntatem.

Quod attinet ad primum, quomodo amaverit iste cœlestis Sponsus has suas Sponsas, dicat id nobis Divina ipsius Majestas ac Bonitas infinita; ille enim hoc bene novit. Nam sicut nemo potest scire, neq; intelligere ardentem & incensum amorem, quo magna ejus Majestas amavit suas pauperes creaturas, jam inde à sua æternitate, cum jam tunc decreverit tanta ipsis bona præstare, ac inprimis illis animabus, quas Regia ejus Majestas elegit ad hanc dignitatem suarum Sponsarum: ita non est, qui id possit explicare, vel exprimere verbis. Ut autem possemus intelligere & indagare quadantenus istum Divinum & magnum ipsius amorem, quo nos amat, exhibuit nobis ac discooperuit suum Divinum pectus nudum, transfixum pro nobis, & nostra salute, duro ferro crassæ lanceæ. Ostenditq; nobis ibi ob eundem finem suas sacras manus vulneratas ac transfixas crassis clavis, quibus fuerunt affixæ & acclavatæ Cruci. Ostendit nobis etiam suum Sacratissimum corpus sanciatum, ac dilaniatam suam pretiosam carnem, crudeli tormento flagellorum; suum sacrum caput, confixum crudelibus ac duris spinis, quæ penetraverunt ipsius

Divinum cerebrum. Vidimus ibidem ipsi^o infamem & ignominiosam mortem, magnam illius derelictionem, ac desolationem ejusdem Domini, qui est protector, individuus comes, & gloria omnium creaturarum. Hoc est, quod ibi vidimus, nobisq; ostendit, & ista fuerunt indicia hujus magni amoris, hi testes fide digni, qui testimonium perhibuerunt isti causæ, & dixerunt, quod sciebant, permittentes reliquum secreto Divini Tribunalis, ubi est mare Divini ipsius & infiniti amoris, quod non agnoscitur totum ex his indicijs, quia quia amplior est & major amor, quo nos amavit, quàm id, quod pro nobis est passus: atq; ita, ob hanc rationem, possumus dicere, majorem fuisse causam, quàm illius effectus.

Hoc est modicum illud, quod possumus dicere, de isto Divino amore, quo cœlestis hic Sponsus amavit istas Sponsas suas. Sed non contentus his omnibus, amavit illas, & zelavit pro ijs, semperq; ipsas tulit in oculis (& istud est secundum, quod dicebam) ac in omnibus earum vijs & semitis custodivit & protexit ab earum hoste, peculiari curâ & auxilio, atq; in ipsarum necessitatibus & fragilitatibus illas confortavit, ac tulit instar honi Pastoris, ad sua pascua, & umbrosa prata, ibiq; easdem pavit, ac recreavit & curavit, instar boni medici. Ibidem illas custodivit, ac defendit, à dentibus lupi voracis, & à manibus latronum ac prædonum, quod est tertium beneficium. Deniq; non dimisit ipsas ex sua potenti manu, neq; ijs defuit suo Divino auxilio, donec illas adduceret, ad suam Regiam domum ac palatium, ubi easdem deposuit, & continet, atq; observat oculis Divini & specialis amoris. Ita se gessit hic Divinus & cœlestis Sponsus, erga istas suas Sponsas, quas in tales elegit, ex sola sua infinita bonitate.

Videamus modò, cum ita se res habeat, & propter has gratias susceptas, quid deceat facere istas Sponsas, & quomodo debeant respondere his donis & gratijs obtentis: quia, si istam gratitudinem oportet esse conformem, his indeptis gratijs,

sine dubio essent exigua, breves, & insufficientes, ad hanc æqualitatem faciendam vitæ omnium hominum & Angelorum, impensæ in magnum & continuum servitium, ac amorem datoris universorum bonorum & gratiarum. Verùm deniq; nihilominus, cum iste summus Dominus ac Sponsus sit, & quidem ex sua propria natura, tam generosus, & plenus infinitâ bonitate ac misericordiâ, & singulari magnificentiâ ac liberalitate, quia venit ex Indijs cœlestibus, tam potens ac abundans omnibus thesauris ac bonis, quæ ipsius Pater æternus habet ac possidet, quibus omnibus fruatur, quòdq; habet ac possidet ex natura, propter hanc causam & rationem (idq; bene, tanquam Rex ac Dominus magnus, qui nemine indiget, quia intra portas suæ domûs, suiq; Divini cordis habet, quæ illi est, venam suæ gloriæ & scaturiginem ac fontem perennem omnium suorum Divinorum & cœlestium bonorum, ac thesaurorum, ut idcirco propter solam suam infinitam bonitatem & munificentiam elegerit, pro Sponsis suis, pauperes ancillas suæ domûs ac indigas, & carentes omnibus bonis ac divitijs) libenter ac bono animo suscipit ab illis, pauperem tertium totius ipsarum amoris, totus enim esse debet, sicut diximus, neq; vult quidquam ex ipso deesse, utq; secundum illam totum faciant omnia sua opera, & in ijs omnibus ipsum respiciant ac ament, insistentes ejus vestigijs, induentes illius insignia ac vestem, sicut decet bonas ac dilectas Sponsas, oprantesq; cum gaudio & forti amore Sacram Crucem, quam iste ipsarum cœlestis Sponsus, propter illas, tantopere amavit ac desideravit.

Adeò ut omnem felicitatem, ac beatitudinem & gloriam Sponsarum JESU Christi Domini Nostri, oporteat consistere, in sacra ipsius Cruce. Hac debet esse ipsarum gaudium & lætitia, ac protectio, & sub hac umbra debent consistere atq; sub isto sacro vexillo, cujus Dux est Christus Dominus, debent militare, ad hoc regnum debent quærere, ista bona ac thesauros debent ambire, & accumulare

ex toto vitæ ipsius decursu, qui semper est viridis, ac fragrans, & producit, profertq; fructum Divinum vitæ æternæ: debent autem decerpere semper avidè istum ipsius Divinum fructum, & colligere pretiosum manna, quod est suavissimum, & propterea semper surgere manè cum filijs Israël, neq; permittere elabi aut perdere ullo modo tempus aut occasionem lucrandi, malè enim facerent, essentq; dignæ gravi reprehensione, si, cum cœlestis Sponsus plantaverit hanc vineam, & istam Sacram arborè, suis tantis impensis, colueritq; ipsam, & irrigaverit tam pretiosâ & copiosâ aquâ vitæ, quàm est pretiosus illius sanguis, idq; pro munere & gloria suarum Sponsarum, dum deberent colligere cum sudore ac doloribus fructum hujus vineæ, atq; bonorum & ingentium thesaurorum sui dilecti Sponsi ac Domini, essent tam focordes ac pigræ, sicut ille stolidus piger, qui, eò quòd manum non extenderet, ac admoveret ori, fame moriebatur, vel sicut illi indiscreti invitati, qui vocati ad convivium regium, se excusaverunt vanis & insufficientibus excusationibus. Hæc est obligatio Sponsarum JESU Christi Domini Nostri, atq; idcirco reprehenduntur illo die, quo reddenda ipsis erit ratio. Unde oportet, ut hoc bene considerent, ac attendant, semper vigilando, bene instructis suis lampadibus, ut ita ipsas inveniat dispositas & præparatas, cum venerit Sponsus. Utinam magnus DEUS, propter suam infinitam bonitatem, nos omnes disponat ad excipiendum ipsum die nostræ rationis, detq; nobis suum lumen, ut illum cognoscamus ac amemus. Amen.

§. II.

Adfemus alia monita breviora, & Magni momenti, quæ dedit cuidam Religiosa. quæ, ait, me interrogavit, quid illi faciendum esset, ut exequeretur quædam vehementissima desideria, sibi à DEO indita, ut esset optima Religiosa, & plurimum proficeret in virtutibus, Sanctitate ac perfecto amore DEI. Instruxit me

DEUS suo lumine, dixitq;: Dic isti Religiosæ, quòd, si velit erigere in sua anima, maximum & pulcherrimum ædificium, ubi Dominus hospitetur & maneat, sintq; delicia ipsius cum anima, collocet se in profundissimo loco sui nihili, & agnitâ suâ miserâ, effodiat fossam, eruâtq; inde omnem terram affectuum minùs purorum, minùsq; mundorum, ac passionum animæ, jaciâtq; profunda, inde & solida fundamenta humilitatis, ac totalis, quoad hoc, resignationis suorum bonorum desideriorum, in voluntatem & beneplacitum sui DEI ac Domini, ut sit contenta, ad solam gloriam Divinæ Majestatis, esse una, ex minimis famulabus & ancillis, in domo ipsius, servirèq; illi in eo, quod ipsi magis placuerit, laborando, quantumcunq; poterit, etq; erit possibile, in adimplendis ejus sanctis præceptis & consilijs, juxta perfectionem Regularum & Instituti suæ Religionis.


§. III.

Aliis ei DEUS repræsenterit clausuram, quam debent observare Virgines, pro sua securitate. Vidi, inquit, quoddam Templum clausum, pulcherrimum & elegantissimum, cujus portæ & frontispicium erat plenum cancellis quibusdam crystallinis, puris ac pellucidis; intra istud templum mysticum erant quidam gradus pulcherrimi, & splendide apparatus, in quorum summitate (erant autem quasi decem vel undecim) super planitiem quandam magnam & amplam, erat erectum, theatrum, & suggestus cujusdam Sedis admirabilis, & pulchrè adornatæ. Dum admirabunda considerarem hoc mysticum templum, vidi intra illud, ad latus eorum graduum, ascendentes paulatim, & pulcherrimo ordine, quasdam Virgines gravissimas & modestissimas, formosissimas, atq; eleganter comptas, habentes in suis capitibus coronas aureas, & ramos palmæ in manibus; videbantur esse puellulæ, seu juvenculæ, fuerintq; circiter viginti, vel paulò plures, quæ ingressæ in illud

lud Sanctum templum, inceperunt quasi exornare denuò illos mysticos gradus; quod officium exequabantur cum magno silentio & modestia. Deinde vidi, per eandem portam, per quam ingressæ fuerant istæ Virgines, intrantem sacrum Agnum DEI, in hac ipsa specie Agni cum cruce & vexillo, quod stringebat, & suo humero habebat acclinatum, qui transivit per medium illarum Sanctarum Virginum, exhibens se ipsis valde affabilem & benignum. Hanc speciem Agni circumdabat instar cujusdam lucis ac splendoris, ipsemet DEUS, sicut cognovi & intellexi. Transivit iste Divinus Agnus illos gradus, & ascendit ad illum suggestum, qui erat in earum summitate, collocavitque se in ea Sella mystica. Tum Sanctissimæ illæ Virgines se omnes prostraverunt in ijs gradibus, auferentes ex suis capitibus coronas, substernentésq; pedibus Divini Agni, & post modicum silentium inceperunt cantu demisso ac suavi, laudare & benedicere suum DEUM, quem habebant præsentem, præ se ferentes magnam lætitiā, & gratitudinem, propter gratiam sibi præstitam, per pretiosum Sangvinem Agni, quando illis contulit pretiosum donum puritatis ac virginitatis, quod DEUS tantopere æstimat.

Dum viderem hoc mysterium, fui abrepta, nesciens, quid significaret, præter id, quod audiveram ac videram. Sed Dominus mihi illud declaravit, dicens mihi: Hoc templum clausum & habens cancellos transparentes, quos vidisti, significat custodiam & clausuram, quam debent observare meæ Virgines, quibus ego sum dignatus conferre istud donum, & puritatem virginalem, quas oportet esse instar horti conclusi, quem nemo alius ingreditur, quàm DEUS: nec videri debent ab alijs creaturis, nisi per cancellos, & velas. Has vehementer amat DEUS, & ipsæ amant illum, cognoscunt ac laudant, sequiturque eas & comitatur Agnus DEI purissimus, mundissimus & innocentissimus, qui dedit pro illis suum sangvinem ac vitam. Hæc est significatio eorum quæ vidisti. Vale.

Credibile est, DEUM id ostendisse sua famula, ut sustineret alacrius exteriorem clausuram, in qua illam detinebat tot annis, fixam lecto, in cubiculo angusto, obscuro, clausis portis & fenestris, quia lumen & aurum illi vehementer officiebant, ubi nec illum videbat, nec poterat videri à venientibus, ad ipsam invisendam, & alloquendam, qui erant multi.



A. M. D. G.



LIBER